DIVUS STANISLAUS KOSTKA S.J. IPSE OLIM IN TERRIS: CSLO VESTIGIA...

Kaspar Callenberg, Giovanni Battista Tolomei

DIVUS STANISLAUS KOSTKA S. J.

Ipse oLIM In terrIs: CœLo VestIgIa DVrant. *Statius l. 6. Thebaid.*

AUTHORE
P. CASPARO CALLENBERG S. J.
Sacrorum Canonum, in Alma ad Paderam Universitate, Professore Publico

ICONICE

Pictus an scriptus?

Per
Secuturæ Apotheosis Prodromum, publici juris factus.

Cum Facultate Superiorum & Privilegio non recudendi.

Paderbornæ, Typis Joachimi Friderici Buch.

EMINENTISSIMO & REVEREN-
DISSIMO PRINCIPI

JOANNI BAPTISTÆ PTOLEMÆO

S. R. E. Titulo S. Stephani, in monte Cœlio,
CARDINALI PRESBYTERO &c.
Patrono ſuo perquam gratioſo
felicitatem



Lim EMINENTISSIME PRINCEPS, *Lunas* vel in *calceis* geſtitare, Romanæ ſi licuerit Nobilitati; quid ni Polonorum Nobi-

Nobilissimo D. STANISLAO in *fronte*, loco sanè, quàm altiore, tam decentiore, *Gentilitia Sidera* Tua, fas modò sit circumferre. Nos illa, non *Cælo* carminibus magicis; sed *Monte Cœlio*, quâ par est, reverentiâ huc deduximus, dignam obscuriori lucubratiunculæ nostræ lucem affusura. Et vero Tuum PURPURATE PATER, ut esse constaret, Tuis decuit ornari insignibus, Novellum hunc Sanctum. Tuum autem quis neget esse STANISLAUM, tot titulis Tibi devinctum? Tuus profectò est ille; quia Noster: nempe antiquo id Jure *Societatis*, jam olim ultra quadragenos annos nobiscum *contracta*, obtines, ut in nostrorum (quantillacunque illa sint) bonorum communionem sis admittendus. Tuus est ille, quippe quem diutinæ, familiarísq; devotionis (quâ Cælitem hunc prosequeris) *usu* laudabili, legitimè *usuceperis*, pientissimâ sanè, etsi insolitâ, liberi hominis *usucapione*. Tuus est ille denique *Specialissimæ Donationis* Titulo; quando Sanctissimus Pontifex CLEMENS XI. non sine authenticis tabulis, testibúsq; quamplurimis STANISLAUM suâ continuò ab Apotheosi, ipso in Divi Sacello, ipsâ Stanislai sacrâ die rite, solemnissiméq;

ſiméq; EMINENTIÆ TUÆ donavit, juxta atque extradidit. Quare, ne rem alienam intervertiſſe videar, quod non ita pridem è ſacris manibus Tuis Ordo noſter accepit, libens volens, impræſentiarum redhibeo depoſitum; Tuúmq;, ne plagii aliquando arceſſar, cum gratiarum fœnore, reſtituo Stanislaum. Tu interim, EMINENTISSIME ANTISTES, pro congenitâ illâ, orbíq; notâ humanitate Tuâ, gratioſiſſimè indulge, uti Divus hic Sarmata, qui toties, quas calcavit, ſub *pedibus* habuit *Lunas Turcicas*; *Lunis Piſtorienſibus* (quas in ornamentum ſibi depopoſcit) in *capite* libri ſui circumfulgeat: Permitte illi, non in Urbem jam ſolum; ſed in Orbem ituro, optimas in viam duces, noctilucas faces Tuas; &, ſi quas Parnaſſus noſter STANISLAO offudit umbras, Tu illas aviti ſideris Tui (quod ob virtutum peræque, atq; ſcientiarum ſuarum radios, pulchrè ſiderata non ſemel obſtupuit Roma) Eminentiſſimo fulgore diſpelle. Ita faxit, qui fecit Solem & Lunam, ut *Gentilitiæ Lunæ* Tuæ ad magnum Ordinis noſtri ornamentum, ad majus Eccleſiæ Univerſæ incrementum, ad maximam conditoris ſui gloriam, macularum puræ, intactæq; deliquiis,

tamdiu

tamdiu circa *Cæli Ecclesiastici* volvantur *cardines*, dum *coeuntibus* utrimque *cornibus*, meritorum suorum *Orbem* perfectissimè expleverint, dignissimæ tum, quæ indefecturum alibi perennis gloriæ ordiantur *Novi*-dicam, an *Pleni-Lunium?* illúcque transferantur, ubi, qui docti fuerint, & ad justitiam erudierint multos, velut sidera in perpetuas fulgebunt æternitates. Ita cum reverentissimo Cardinalitiæ purpuræ Tuæ osculo, *germanissimo* affectu adprecatur.

EMINENTIÆ TUÆ

humillimus in Christo Servus.

Casparus Callenberg S. J.

ICHNOGRAPHIA POETICA

totius opuſculi, quam quis admotis facibus propiùs inſpiciens, ad D. STANISLAUM umbratili hîc ſchemate obiter depictum, exclamat:

AN FALLOR TVA DECEPTVS VMBRA?

Senec. in Hercule fur. (hoc & ſequentia Chronica annum compoſiti libelli præferunt.)

SUBSCRIPTIO:

Cœlũ Koſtka tenet; nihil hìc niſi Cælitis umbra eſt,
Et tamen hæc medio plus micat umbra die.
Virtus *cùm pingi nequeat; depinximus umbram*
Virtutis: ſoles *indicat* umbra *ſuos.*
Sunt Koſtkam claro, qui ſcribant ſanguine cretum:
Angelus *aſt unquam* ſanguine *cretus ubi eſt?*
Majores *quæris?* caruit Majoribus. *& quî?*
Totius generis Maximus *ipſe fuit.*
Maximus *ipſe fuit, Polonos eſto* Monarchas
In ceris habeat, Moſcovióſq; Duces.
Inter avos eſto, magnos belliq; domiq;
Heroas *numeret;* maximus *ipſe fuit.*
Maſſoviam *Divi* Patriam, *qui dixerit, errat:*
Nam Cœlum patriam Cœlitis *eſſe ſcias.*
Mater Kriska *fuit; Matrem tamen ille* Mariam
Dixit: ſi dixit vera, bimater *erat.*

Grandia Kriskæum *præeunt* miracula *partum*:
Et solet hos Prodromos nil, nisi grande, sequi.
Prægnans *Mater erat*; *Matris* (*mirabile dictu*)
Impressum JESU, *dum caro* nomen *habet*.
Vendicat apposito JESUS sibi nomine fœtum:
Nondum natus *erat Kostka*, sacratus *erat*.
Gratia Joannes:* *natum Joanne Parente*,
Gratia progeniem, quis neget esse, tuam?
In decimo sexto (*numeres si Sæcula*) *vixit*:
In folio *laudes scribere nemo queat*.
Dum paritur, vertit se quinquagesimus *annus*;
Annus hic omen habet: *cur*? Jubilæus erat (*a*)
Frigidus *infantem primùm* Septentrio *vidit*;
Vidit, & *insolitis plausibus* incaluit.
Scilicet octavum *plaudit venisse* Trionem,
Et terris Helicen *irradiare* novam.
Candida tergeminæ Nato nent stamina Parcæ:
Nêsse scias parcas, *stamina* curta *fluunt*.
Undevicennali currit pro tempore fusum:
Claudi longa brevi *tempore vita potest*.
Carmina tum Phœbus fudisse genethlia fertur:
Talia semideis fundere Phœbe soles.

Ipsa

* *Joannes primam producit, quia per ω scribitur,*
(*a*) *Jubilæus non à jubilo, sed à Jobel derivatur*:
corripio primam & secundam cum Mantuano.

Ipsa recens nato sua præbuit ubera Virtus:
Pascitur (*ô mirum!*) Virgine lacte *puer.*
Pinximus infantem: quis cætera? solus Apelles
Pingere, vel certè solus Apollo *queat.*
Kostka puer senuit; *prævertit moribus annos,*
In puero *virtus semper* adulta *fuit.*
Pulchrè peccavit: turbavit fructibus ævum;
Dum daret Autumnum, *tempora* Veris *erant.*
Huic hemistichion quadres: Tua messis in herba [est.
Provenit in Kostka messis & herba simul.
Dum puer assuescit, quas erigit ipsemet, aris:
Erigit has aliis? erigit an ne sibi?
Aris (usq; adeo à teneris assuescere multũ est)
Queis puer assuevit, jam quoque functus amat.
Sæpe puer cecidit: levis *illum* fabula *stravit:*
Vel puero gravius *nil* levitate *fuit.*
Exanimis *cecidit fugitivâ* mente: *fit* amens
Ut ne fiat amans: *quàm sine* mente sapit!
Dum cecidit, credo semper cecidisse supinum:
A cœlis *oculos vertere non poterat.*
Vulserat hunc studiis ab utroque Vienna *Parente:*
Matris Musa *fuit, Patris* Apollo *vice.*
Heic mala declinat, *Virtuti* conjugat *Artes:*
Inter Grammaticos *quis neget esse* Probum? *

* *Probus celeberrimus grammaticus.*

Olli quæ pietas! pulcrum pia vita poëma est:
Fingere *nescierit Kostka*, Poëta *fuit.*
Flectere *qui potuit* Superos, Acheronta movere
Dic mihi flexanimus *quid nisi* Rhetor erat?
Flexit, (*& in morbo*) Superos, Acherontáq; mo-
Fortior *in* morbo (*credite*) *Kostka fuit.* [vit:
Aggreditur stratum morbo, stratúmq; grabato
Tartarus; haud stratum *dicite*; victor *erat.*
Dœmone devicto *geminus tibi Kostka* ministrat
Angelus: *an Christi gloria facta tua est?*
Gloria facta tua est: major tibi gratia facta est;
Illi dat panem, *dat tibi*, *Kostka*, Deum.
Ægrum tam blandè *quæ visit Diva Clientem*,
Non ea, credo, fuit Barbara, Blanda *fuit.*
Barbara *si fuerit, discordant nomina factis*,
Aut blandam *exercet Barbara* barbariem.
Curatus quid non tentas? cœlúmq; solúmq;.
(*Ut JESU sociis annumerere*) *moves.*
Qui sic ad sacros Juvenis grassaris honores,
Vis dicam quid sis? ambitiosus homo es,
Ambitiosus homo es; talisque vocabere mundo,
Heu! paucos socios ambitionis *habes.*
Sed Stanislao *junxit cur Austria* Paulum?
Juncta riget teneræ spina *molesta* rosæ;
Aspera junguntur raris conchylia gemmis;
Nec minùs est auro scoria *juncta suo*;

Jun-

Junguntur juveni prædura ſtatumina *viti*;
Lappáq; *ſe* ſegeti *jungere ſæpe ſolet.*
Cur Romam peregrinus abit? ſibi judicat eſſe
Exilium *in* Patria, Patriam *in* exilio.
Aſſequitur tandem nudum, ſua gaudia, Chriſtum;
Hunc puer à cunis pæne ſecutus erat.
Adlegitur ſociis: *adlegit Borgia*, Sancto
Sancte *nequis* Juvenis *non placuiſſe* Seni.
Tirones inter mirus *fit Koſtka* Magiſter;
Ut flerent oculos, erudit *ille ſuos.*
Denis præterea Tiro quid menſibus egit?
Supremam *meritis addidit ille* manum.
Poſt decimum nono *Juvenem mors conficit* anno:
Dum merita aſpexit, credidit eſſe ſenem.
Virginis aſſumptæ, *ſi neſcis, nocte receſſit*;
Aſſumpſit natum, Virgo *Maria ſuum.*
Æternos *adiit* colles *è colle Quirini:*
Altis aſſuetus collibus, alta petit.
Depluit *in varios poſt mortem dona Clientes:*
O utinam tali *ſæpius* imbre pluat.

ICHNOGRAPHIA
Hiſtorico-Oratoria
Stylo ſoluto D. Stanislaum adumbrans.

ANgelum, ſed mortalem; Solem, ſed in Septentrione natum; Virginem, ſed maſ-

masculam; Senecionem, sed octodecennalem: Natu minorem Mariæ filium, cœli in terris delicium, novam *Coronæ Borealis* gemmam, novam Poli Arctici Cynosuram hìc damus, dum damus D. Stanislaum Kostkam. Quem Sanctum? inquies: de quo Quirinaliè Colle Urbanum illud dudum insonuit vivæ vocis Oraculum: *Parvus adolescens; sed magnus Sanctus.* Quem Sanctũ? cui anno 1714. publicam Roma apotheosin ritè decrevit; decreto, ut spes est, per Orbem Christianum propediem publicando. Quem Sanctum? quì inter miracula natus, inter miracula enutritus, miraculis sic immoritur, ut iis patrandis, vel post fata, gloriosissimè hodieq; immoretur. Quem Sanctum? qui pro dapiferis Angelos; pro Archiatra, cœli terræq; Reginam; pro collusore ipsum Deum nactus cum sit; certè non est de *Communi*, ut ajunt, *Sanctorum.*

Hunc tu amice Lector, ut paulò distinctiùs agnoscas, præsentem Sciagraphiam tantisper inspice, sacrámque famem tuam (quam secuturi pleniùs explebunt iconismi) hoc quasi ante-cœnio eousque obsonare.

Atque ut in rem ingrediar; si in natales

Divi

Divi nostri inquiris, scito ita fuisse Clarissimos, ut tamen eosdem nascendo Stanislaus reddiderit clariores: Solaris genii est, lucem, quam in ortu acceperis, intendere: bonus ager creditam sibi sementem, cum fœnore refundit; innocentissima usura est, si mutuatam à Majoribus sanguinis gloriam auctiorem redhibeas quantisvis etiam incrementis. Hanc usuram, qui præclarissimè exercuit, Majores tamen suos, quos Maximos nactùs erat, semper in minimis habuit, optimus rerum arbiter Stanislaus; noverat quippe tam supra annos, quàm supra vulgus sapiens Adolescens: *Et genus & Proavos, & quæ non fecimus ipsi*: ad gloriæ nostræ censum nequaquam spectare: noverat ille & illustrissimis stirpibus Stolones sæpe adnasci; & in clarissimis Ceris nidulari fucos; & ex antiquissimis Avorum statuis ebullire vermes; & fumosas majorum imagines in truncos desinere; & Paludes originem suam ad limpidissimos fontes referre: Noverat è diverso, etiam soles è tenebris; ceraunia è tonitruis, gemmas è conchis, rosas è squillis & rubetis prognasci; hinc Majorum suorum virtute non aliter, quàm stimulo utebatur, quâ se identidem ad se-

quendum; imò ad præcurrendum instigabat: avitam gloriam pro face habebat, quæ præluceret honoris Olympia cursuro: sanguinis fulgorem non alio approbabat titulo, quàm quod acceptam cum nomine, eminendi per virtutes necessitatem, ob oculos poneret: nec immeritò; ecquò enim tibi fumosæ proavorum imagines, nisi propriis illas factis illumines? ecquò gentilitiæ Ceræ, nisi aut in illis mellifices, aut ad illas lucubres, studiosus Majorum imitator? laurum non tam à ficto Apolline, quàm ab ipsa veritate meruit Poëta, qui cecinit:

Quis fructus generis, tabulâ jactare capaci
Fumosos equitum cum Dictatore Magistros,
Si coram Lepidis malè vivitur &c. &c.

Eant igitur degeneres magni nominis umbræ, eant pudendi altioris sanguinis hæredes, qui solum fastum è Majorum fastis hauriunt, & saltem nobili illo, quem ab tantis avis hauserunt, sanguine, suam erubescant ignaviam.

Certè parùm fuisset Stanislao patriæ nobilitatis nuncupari florem; nisi ipse virtute (in qua sitam sciebat veram nobilitatem) omnibus præfloruisset: parùm fuisset eâ stirpe propagatum, quam nunquam infecisset hæresis, quæq; affinitate Ducum Moscoviticorum

domum contingat; nisi ipse Schismaticos Duces fidei integritate anteiret: Parùm fuisset Regum Polonorum dici consanguineum, nisi ipse regnum, quo toto in orbe non aliud vastius est, *sui* nimirum *ipsius*, obtinuisset. Nempe sic à tantis *descendit Majoribus* Stanislaus, ut ipse à *Majoribus* ad *maxima ascenderit*, hoc *descensu* instigatus. Post natales natalitium ne ignores solum; suum in *Septentrione Orientem* Divus noster habuit: rectè sub cœlo *frigido* nascitur, qui idipsum virtutum suarum exemplo *accensurus* erat, melior *Phaëton*. Quid de ortûs tempore? Sæculum decimum sextum priùs Hæresin in aliis, pòst ipsam in Stanislao Virtutem (ut hoc partu abortum corrigeret) est enixum: Scias nequaquam à vero ablusisse, qui cecinit, *Nil prodest, quod non lædere posit idem*. Sæculum hoc, nec *ferreum*, nec *argenteum*, nec *aureum* dixeris: *gemmeum* fuit; quippe quo gemma gemmam, *Margarita* peperit Stanislaum: Margaritam Kriskam Ducatûs Massovici Palatinam intelligo, Matronam non minùs *moribus*, quàm *Majoribus*; non minùs *genio*, quàm *Genere*, vel *specie* præstantissimam.

Adde Matri Patrem, Joannem Margaretæ,

qui

qui omnem, quam in prænomine ſuo circumferebat gratiam, in hunc filium transfudit. Cæterùm Stanislao annus Sæculi quinquageſimus, primus fuit. Quid mirum? *Sanctam* animam anno *Jubilæo* edi oportebat. Certè annus hic Jubilæus Septentrioni fuit, qui tantum ei Infantem indulſit *Indulgentiâ* nequaquam *vulgari*.

Tantum partum eniti, cùm ſola natura ſuis viribus non poſſet, miracula ſuppetias venêre: & decuit, ut miraculum gigneretur maximum, minora præludere. Audite poſteri prodigium hactenus inauditum: Sacerrimum fœtum ſuum jam jam enixura erat Margarita, quando ipſa ventrem ſuum, digniſſimum tanti incolæ habitaculum, ſacroſancto JESU nomine, ſolaribus radiis circumfuſo, & purpureis characteribus effictọ derepente ſignatum vidit & obſtupuit. Mirabilis puerpera! in qua etiam quadantenus *Verbum* Caro factum, dum *nomen* JESU ſic eſt *incarnatum*: *Puerpera verba* (ut phraſi Ovidianâ utar) quibus gentilium olim circumſtrepebant Puerperia, haud opus erant tibi, cui *nomen* inerat Puerperis omnibus ſalutare. Fœtui tuo à quo timeres? cujus ventrem *ſalus* ipſa occu-

occupârat ? non poterant mala appropinquare *Tabernaculo tuo*, cui Deus *tales literas securitatis* (Salvamgardiam pæne cum barbaris dixissem) auspicatissimè appenderat. Vidissent te Dæmones; contrà, quàm aliàs dixissent: *Vas signatum & non vacuum.* Vidissent te artis suæ periti Genethliaci, ex signo rem; ex Societatis JESU insignibus latentem sub cortina Materni uteri Jesuitam; ex solatibus radiis filium lucis; ex purpureo Characterum colore congenitam fœtûs tui verecundiam præsagiissent. Fortunate ipso ab usque utero Stanislae! Quis te sub fausto Sydere natum neget, cui talem solem venter maternus prætulit, omnis felicitatis viam ostensurum? fortunate Stanislae! quem proprio *nomine* tam mirabiliter ab ipso vitæ limine ad Societatem suam *vocavit* JESUS. Næ tu aptissimè de Deo dixeris, cum Propheta: *Dominus ab utero vocavit me.* Isaiæ 49. 1.

At cur Kostkovi in Pago nasceris nobilissime Sarmata? an jam urbes fugit nascitura sanctitas, ex quo semel urbe exclusus est, jam jam pariendus Sanctissimus, cui inter inciviles Bethlemi cives non erat locus in diversorio, vitiis quaquaversus occupatissimo? An sancta morum Urbanitas Stanislao congenita, Natali suo pagos dedicare voluit? An locum obscurum Ortu suo

illustrare debuit Sol noster ? quidquid sit : si Sanctos *extra urbem* parit Polona nobilitas, sæpius *rusticetur*. Secundus (*ne nescias*) inter Poloniæ Sanctas hic Stanislaus est : quis neget terram fertilem, quæ vel in Sanctis, quorum partus rarissimus est, parit *Geminos* ? ô felix Regnum, dum *Geminos paris*! infelix dum *Geminis pares*! sed non ego fata Poloniæ miseræ; vitam Poloni felicissimi scripturus eram : quam dum ab ovo repeto, id sanè permolestè fero ; defuisse Homerum, qui sacri Achillis nostri primam ætatem ab oblivione vindicâsset: latet quippe plurimam partem, quâ inter domesticos parietes effluxit, Stanislai pueritia. Fuit fuit Stanislaus paternis in ædibus antè sepultus, quàm mortuus. Bombicem diceres, qui dum maximè operatur, operitur; séque, dum divite vellere cumulat, tumulat. Sunt quidem, nec diffiteor, qui primos Stanislai annos, omni virtutum genere effloruisse, ab omni vitæ licentia, nedum malitia abhorruisse, generatim atque indistinctè asserant ; sed dum per singula illius decora nequaquam pedepressim incedunt, quid, nisi vastissimum laudum campum uno saltu transmittunt, quàm in Sanctum, cui specialia encomia negant, illiberales ; tam in totam pueritiam, quam magnis exemplis fraudant, injurii. Sed demus hoc ini-

qui

quitati iſtius temporis, ad obſervanda virtutum exempla minùs curioſi. Demus hoc Patriæ, ea tempeſtate plus gladiis, quàm calamis; plus edendis, quàm ſcribendis Heroum actis intentæ. Sit Polonia, in qua Puer Koſtka *latuit*, Koſthææ Sanctitatis *Latium*. Quid tum? habet Stanislai ſanctitas id commune cum fluviorum Principe Nilo: caput primámq; originem occulit; habet hoc cum uberrimis meſſibus; in ſemine abſconditur; habet hoc cum maximis ſubſtructionibus; à fundamentis latet: habet hoc cum illuſtriſſimis ſolibus; è tenebris oritur: habet hoc denique cum rebus quibuſque maximis obſcuris prodit principiis. Sed quid? ſi Stanislai vitam omni omnino pueritiâ caruiſſe dicerē? equidem ſanè, quàm non ex uſu communi, tam ex vero loquerer: nimirum fuit is à pauxillo puero Divus noſter, qui ſenium non annorum, ſed morum, canitiem *non menti*, ſed *mentis*, ab ipſis pæne cunis, ordine pulchrè præpoſtero, ſit indeptus: fuit is, qui in tenera ætate nil puerile præſeferret, præter vultum; cujus dicta pro oraculis, facta bro exemplis, mores pro magiſteriis haberentur; qui & *levitatem* juventutis, morum *opprimeret* gravitate; & *florem* pueritiæ copularet cum *fructu* ſenectutis. Non ille id temporis virtutem adultam promittebat, ſed dabat, ibi

 ſancti-

ſanctitatis ſuæ jaciens fundamenta, ubi vix alii coronidem ponerent. Certè virtutum juvenilium princeps Pudicitia, in naturā illius abiiſſe, vel hinc videri poſſit, quod id ætatulæ Puſio ad putidiuſculas obſcœnáſque fabulas continuò jam tum erubeſcere, ſubinde cohorrere, totóq; corpore immutari, denique defici ſenſibus, linqui animo, humiq; in mortuum collabi ſpectaculo prorſus inſolenti ſit ſolitus.

O glorioſum Stanislae deliquium tuum, in quo animo *linqueris*, ne *delinquas! laberis* ne *laberis!* ô *caſum* omni ſtatui imitandum! Adeſtè Grammatici,& *caſum* hunc, quo Venus *declinatur*, ſecundæ *declinationis* contra opinionem vulgatam declarate. Hunc *caſum* caſuum Principem acclamate, laudibúſq; veſtris coronate. Dicite hunc *caſum* eſſe *Nominativum* & *caſum mirum*, à quo *cadens* caſtiſſimus meritò nominetur *Caſimirus*. Dicite eſſe *Genitivum*; qui ſine Venere gignat; quid? nominis immortalitatem? *O pulcbra & caſta Generatio cum claritate!* Dicite eſſe *Dativum*, qui *Cadenti*: *manibus det lilia plenis*. Dicite eſſe *Accuſativum*, qui ſpermologos hos ſpurciloquóſque blaterones, hos Veneris incentores, hos juventutis corruptores, graviſſimi ſceleris vel ſuo ſilentio, eloquentiſſimè *accuſet*, tacitéq; tam illud Satyricum:

Nil

Nil dictu fœdum, visúq; hæc limina tangat,
Intra quæ Puer est: procul hinc, procul inde Puella!
Maxima debetur Puero reverentia: siquid
Turpe paras , ne tu Pueri contempseris annos.
Juv. Satyr. 14.

quàm illud Evangelicum : *Quisquis scandalizaverit unum ex his pusillis , credentibus in me, bonum est ei magis , si circumdaretur molâ asinariâ, & in mare mitteretur.* Marci 9. v. 41. efficacissimè improperet. Dicite esse *Vocativum*, ad quem meritò exclames cum Vate Bilbilitano : *O quantùm subitis casibus ingenium!* aut potius : *O Kostkam in subitis casibus ingenuum !* Dicite esse *Ablativum*, qui vel levissimæ maculæ suspicionem aufferat ab incarnato Angelo *Stanislao.*

Adeste Poëtæ , & præ Icari lapsu, Phaëtontis ruinâ, Vulcani præcipitio, hunc Stanislai *casum* Versibus vestris celebrate ; nempe è cœlo isti, in cœlum Iste *cecidit.* Fortior à lapsu Antæus , castior surrexit Stanislaus. Ille *sic cadit , ut tactâ surgere possit humo* ; Hic : *sic cadit ut tactam corpore sacret humum.* Castæ PIerides ! cœlebs Phœbe ! innuba Pallas ! *caduca , triumphatrici* tamen, Stanislai pudicitiæ æternum gloriæ colossum erigite. Adeste Rhetores & *casum* hunc , ut meritis super astra laudibus extollatis , uni-

versis troporum figurarúmq; floribus , omni sententiarum pondere, toto Eloquentiæ flumine *obruite*. Hunc *casum* inter *rarò contingentia* ipsis æternitatis fastis charactere aureo inscribite Historici. Hunc *casum* & à fortuitis, & à ficto Fatorum ordine vindicatum, *per se* & non *per accidens* è pudentissimo corde pròfluxisse defendite, demonstrate Philosophi. Hunc *casum*, *casum reservatum*, sed solis corporeis Angelis, unanimi ore *resolvite* Theologi. Advolate Medici, & *casum* hunc, quo *enervatus* Cupido, *luxata* Licentia, *oppressa* Levitas, *fracta* Protervia, *contrita* scurrilitas, Veneri omnino fatalem esse in consilio medico declarate. Advolate ex utroque foro; quàm Canonico, tam Civili Jureconsulti, & *Cadentem* Stanislaum, dum Veneris *Causâ cecidit*, in utroque foro triumphâsse, & *Caduci titulo* ad *promiscuum* Cœlorum *Feudum* jus acquisivisse, pro Tribunali definite. Adesdum denique omnis ætas, omnis sexus, omnis ordo, & *casum* hunc *extraordinarium*, *casum singularem*, *casum exceptum* tamdiu admirare; dum ego *lapsum* Stanislaum *erigam*, *erectum* ab *Aquilone* ad *Aquilas*, è Septentrione in Austrum, è Polonia Viennam, è domûs paternæ proscenio, in publicum Archi-Gymnasii Viennensis Theatrũ transferam, translatúmq; ulteriori vestræ propinem contemplationi, juxta atque admirationi.

Et ſanè ſimul ac Auſtriacis ſcholis immiſſus eſt, Sarmaticus Puſio, Condiſcipulos inter eminuit *velut inter ignes luna minores.* Omnibus numeris abſolutum deſideras juventutis ſpeculum ? Stanislaum inſpice, qui ſic *humaniora* Viennæ decurrit ſtudia; ut *humanitatem* omnẽ tranſgreſſus, non homo paſſim, ſed *Angelus* humanis exuviis tectus, putaretur. Ut ſcias illum optimæ notæ fuiſſe *Grammaticum* ; *Octo partes Orationis* calluit in *octavo gradu*, nunquam non *orare* ſolitus, quo id conſecutus eſt, ut *octonas* Evangelicas, vel in *via* obtinuerit *Beatitudines*, plus quàm *ter quatérque beatus*. Cùm ſciret ſcientiarum eſſe *clavem*, non tam *Logicam*, quàm *Orationem*; hanc identidem applicuit illi, in quo *abſconditi ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ.* Nec fruſtra : *Orando* enim potiùs, quàm ſtudendo eminens Condiſcipulos inter, *Orator* evaſit. *Oratio*, cùm ſit mentis in Deum elevatio, non miror, toties extra ſe raptum Stanislaum: Nempe quò ad Deum *accederet*, ſeipſum *deſerere* neceſſum erat. Miror tamen *Oratorem* hunc contrà, quàm alii aſſolent, *orationi* ſuæ non *lumina*, ſed *tenebras* quæſiviſſe ; quàm *orandi* enim, tam latendi Studioſus fuit, humillimus hic *Scholaſticus*. Sacchinum appello : *ad orandum Deum*, inquit ille, *fruendúmq; diu Beatorum congreſ-*

ſu interdiu in ædium ſecedebat abdita; *noctu verò, poſtquam omnes ſopor oppreſſiſſet, tacitè ſurgebat è lectulo & poſitis humi genibus*; *in alto illo rerum omnium ſilentio, & faventibus tenebris, Divinis radiis vacabat.* O felix *latibulum*! nunquam ſic *inclaruiſſes*, niſi hoc modo *latuiſſes*, Stanislæ. Nunquam majora tibi, quàm in his *tenebris* affudit *lumina, Pater luminum*: in his tu *tenebris* quæ non *pervidiſti* arcana? quas non veritates *detexiſti* Solis Juſtitiæ *radiis* colluſtratus? in his tu & vitii turpitudinem, & virtutis ſplendorem, & mundi vanitatem, & carnis ſpurcitiem, & Dæmonis aſtutiam; in his tu & temporis inæſtimabilis pretium, & mortis *incertiſſimæ certitudinem*, & inevitabilem ſupremi Judicii rigorem, & immenſam geminæ æternitatis longitudinē, quàm lynceo oculo, quantóq; commodo tuo perſpexiſti! apud alios *nocte latent mendæ, vitióq; ignoſcitur omni*; apud Stanislaum *nocte patent mendæ, vitiúmq; agnoſcitur omne.* *Ut imaginem*, ſic *Stanislaum, umbræ illuſtrant.* *O clariſſimum tenebrionem*! lucifugam laudatiſſimum!

Sed nunc in ſingulis Orationis partib⁹ *Grammaticum* noſtrum conſideremus: *Nomina declinavit optimè*; quando ne *nomina* contraheret, ſuum cuique; Reverentiam Superioribus, humanitatem æqualibus, modeſtiam inferioribus,

præ-

æſtantiſſima Condiſcipulis exempla, devotiſſimum Divis cultum, Deo ſe totum exhibuit. *Nomina declinavit optimè*, quando *nomen heteroclitum* propriæ *voluntatis*, *nomen Subſtantivum* ſeu *fixum pertinaciæ*, *nomen adjectivum* ſeu *mobile vanitatis*, nomen *primitivum Superbiæ*, *nomen derivativum ſcandali*, *nomen gentile mundani*, & ſiquæ alia ſint *nomina* Chriſtiano *nomini* contraria, toto corde eſt averſatus. *Nomina declinavit optimè*, quando ſectatus humilia, paruit monenti Poëtæ:

Uſibus edocto, ſi quidquam credis amico,
crede mihi, & longè nomina magna fuge. Ovid. l. 3. Triſt. *Nomina denique declinavit optimè*, quando & feminam (de qua gemit Poëta: *O crudele genus! nec tutum femina nomen*, Tibull. lib. 3. Eleg. 4.) & pravam ſocietatem (de qua monet Sapiens: *Declina & deſere eam*, Proverb. 15.) & quodlibet peccatum (de quo jubet Pſaltes Regius: *Declina à malo*, Pſ. 36. 27.) ſimiléſq; Juventutis Academicæ nocentiſſimas Scyllas, remis (quod ajunt) veliſq; conſtanter *declinavit*. *Pronomina* ut meliùs ſciret, quoties non cum Hipponenſi Præſule ad Deum ſuſpiravit: *Noverim te, noverim me!* quid de *Verbis*? ea, quia *veracitati*, *conjugavit* ſemper *rectiſſimè*, idem loqui, & ſentire ſolitus. Nempe grande

vitium Stanislao fuiſſet, in *veritatem* loquendo *impingere.* Cùm ſciret eſſe *tempus tacendi*, & *tempus loquendi*; id ſtuduit gnaviter, *ne peccaret in tempora*; nec ignorabat tam in verbis *modos* eſſe, quàm in *rebus*; de quibus Olor Venuſinus cecinit: *Eſt modus in rebus; ſunt certi denique fines, quos ultra, citráque nequit conſiſtere rectum*; hinc ita temperabat ſermonibus, *nequid nimis, nequid minus.* *Juvenis* fuerit, in verbo tamen haud *offendit*, & vel ideo ſolùm, authore Divo Jacobo, *perfectus vir hic eſt.* *Adverbiis* Deum delectari, credo, inaudierat, qui tam cumulatè implevit Paulinum illud: *Sobriè, & juſtè, & piè vivamus in hoc Sæculo.* ad Titum 2. 12. *Præpoſitiones,* ſiquis alius, oderat multò maximè; omnibus *poſtponi,* nemini *præponi* geſtiens. *Conjunctiones* non admittebat, nisì cum *optimis*, à quibus *perfici*, non *infici* poſſet. *Interjectiones* uſurpabat creberrimè; ſed Precum, quas *jaculatorias* vocant; has quippe operibus ſuis identidem *interjiciebat.* Aliena etſi non appeteret, in partem tamen omnium bonorum operum venire geſtiebat, & ſic amabat *participia*; ſed bonitatis, non malitiæ. *Syntaxiſtam perfectum* cùm ſe fore putaret, vel tum maximè, ſi vitam ita *conſtrueret, componerétq;*, ut, quod gerebat, Chriſtiani *nomen*, exactè *conſentiret* cum *Verbo* æterni Patris;

s; Quid non egit, ut huic se in omni rerum
nere, & in quantovis adversitatum *numero*, &
quocunque fortunæ *casu*, examussim confor-
aret? Sciebat *Verbum* hoc (quippe quod de
ipso dixerat: *Pater meus usque modò operatur,*
& ego operor. Joan. 5. 17.) esse *Verbum Activum*;
inc æmulandi studio incitatus ita assuevit labo-
ibus, ut vix noctu interquiesceret, vetusti illius
apophtegmatis: *Nunc lege, nunc ora, nunc cum*
fervore labora; Sic labor ipse levis, sic erit hora
brevis: veritatem in se experturus. Sciebat hoc
verbum (cùm jam olim *deposuerit potentes de se-*
de sua & exaltârit humiles) esse *Verbum depo-*
nens; hinc cum Coronato Vate maluit *abjectus*
esse in domo Domini, quàm habitare in tabernacu-
lis peccatorum. Sciebat hoc verbum, (quod
palàm edixerat: *Vulpes foveas habent & volu-*
cres cœli nidos; filius autem hominis non habet, ubi
caput reclinet, esse *Verbum defectivum*; hinc to-
to se mundo *exuit*, ut Christum *indueret*; nimis
avarum ratus, cui non sufficeret Deus, *summum*
illud, & *infinitum bonum.* Sciebat hoc *Verbum*,
utpote abjectum in præsepe, irrisum, explosum,
exagitatum, cruci suffixum, esse *Verbum Passi-*
vum; hinc ab infesto fratre in schola patientiæ
identidem vexatus, constanter docuit, se illi *Præ-*
ceptori dedisse operam, qui clamat: *Discite à me,*
quia

quia mitis sum, & humilis corde : Matth. 11. 29. O pulchram te *Verbi* divini *Echonem* Stanislae; qui huic Verbo moribus tam perfectè consonas!

Poëticen quis spectat? & hîc Stanislaus ita excelluit, ut non *laureati* tantùm, sed & *divini Poëta* nomen emeruerit. *Enthusiasmum* habuit *perpetuum*, nunquam non à Deo *inspiratus*; *furor* hunc *entheus stultum fecit*; sed propter *Christum*. *Pegaso* abreptum dixisses, quoties *raptũ* patiebatur in ectasi. Exclamare poterat cum Ovidio, in creberrimis illis pectoris æstibus: *Est Deus in nobis, agitante calescimus illo*: in illis cœlitum visitationibus jure addidisset: *sunt & commercia cœli*. Qui noctes integras pervigilabat; non cum Hesiodo *dormiendo*; sed *excubando* Poëta factus est. Vena illi poëtica procul obscœno Veneris cœno, semper purissima fluxit; vix aliam in materiam, quàm in laudes aut divinas, aut Marianas exundare solita. Melior Juveni *Parnassus Golgothæo* in *monte*, *salubrior Hippocrene* in *fontibus* Salvatoris, verior in *Maria Pallas*, dexterior in *Christo* fuit *Apollo*. Poëticos Stanislai labores quæris? *Mores* non *versus finxit*: finxit, sed ad leges æternæ *Veritatis*. Cùm è vita sua Poëma faceret præstantissimum, omnẽ ab ea proscriptam voluit *licentiam*, Poëtis aliis plus nimio familiarem.

De

De *Rhetorica* quid dicam? inter *Rhetores* non
m bene *dicere*, quàm *facere* studuit; nec præ-
pta alia admisit, quàm quæ conspirarent cum
imo *Oratore*, qui cum *dixit*, *facta sunt omnia*;
ui & ipse Pater *Verbi est*, *aut Verbum Patris*,
ut ignea lingua ad persuadendum. Quid quid
)rator diceret, nihil unquam *probavit* clariùs,
uàm vitæ suæ sanctitatem; quid mirum? il-
um *miraculis confirmavit* argumentis plusquam
Achilleis. *Affectus* quàm *patheticos* habuit,
quando pro extremo Viatico cœlitus impetran-
lo ad Superos æger *peroravit*! quàm *mirabilem*
motum, dum fugavit Dœmonem! quàm stu-
pendā *captationem benevolentiæ*, dum præter An-
gelos, Divámq; Barbaram, ipsam Cœli Reginam,
ipsum Regem Regum Christum è cœlo ad lectū
suum aureis Orationis catenis Gallicano Hercu-
le potentior *detraxit*. Quidquid tamen in Sta-
nislao *Rhetore* mirentur alii, unicam ego *digres-
sionem* in eo præ omnibus demiror: *digressio-
nem* illam, quâ, dum sui ad Societatem JESU
admissionem Provinciæ Austriacæ Præsidi *per-
suadere* non posset, mirandum in modum usus
est. *Digressionem* illam; cui cœlum, & terra
applausit; cui omnes meritò *Oratores* herbam,
palmámq; porrigant, quam Juvenes, quam Viri,
quam omnis ætas obstupescat: Nimirum dum

totâ Austriâ, gravissimis de causis occlusa esset Stanislao, JESU Societas, illius ineundæ desiderio æstuans, id ætatis tenerrimus Adolescentulus, annum duodevigesimum vix ingressus posità equestri prætextâ, vilem indutus abollam, sine comite, sine viatico, per vastissimos interjacentium terrarum tractus, & pedes, & omnino viæ imperitus, Viennâ Romam usque, festinatis itineribus est *digressus*.

Frustra sim in tam heroico facinore dilaudando. Sic *digredientem* quantacunque laus *sequatur*, non *assequetur*: præcurrit omnem *eloquentiam Rhetor* sic *fugitivus*: superat ipsius Suadæ *domesticam* facundiam, Stanislaus *peregrinans*. Utcunque tamen properet nobilissimus hic ex *Ordine Equestri Pedes*, vix antè *viæ*, quàm *vitæ* metam attingit; nimirum, quod reliquum erat, virtutis curriculum, sic Romæ in Tyrocinio *percurrit Veteranus Tyro*, ut una mensium decade absolverit. Verè *consummatus in brevi*, *explevit tempora multa*. O vastas brevioris vitæ angustias, quibus totius, felicissimæq; æternitatis merita sunt interclusa! Quo die è militante JESU Societate ad triumphantem transierit, quæris? transiit illo, qui *assumptæ Virginis* triumpho est sacer: ut pleniùs triumpharet, in partem triumphi *Mater filium* suum assumpsit Stanislaum.

laum. *Noctes vigilare* solitus, manè *obdorvit in Domino.* Obiit, cùm *illucesceret* auroat, si non credis, eum *Stellam* fuisse, quæ *orienurorâ disparet*; credas fuisse *Angelum*, qui odecim annos, & quod ultrà est, colluctatus, nte *aurora* abivit. Sic tamen hinc *abiit*, ut ntibus suis quaqua in necessitate *adsit*, opifer nper *præsentissimus*. Habes hîc Stanislaum umbra; ubi, si qua parte *latet*, totus, clariórq; ubjectis iconismis *emicabit*.

CONISMI PRÆLIMINARES.

mus repræsentat exteriorem formam D. Staislai, hac coronati Epigraphe: ADoLesCeNVLVs sVM ego. *psalm. 118. 171.*

ctus Apollineis hîc spirat Kostka figuris:
Ponat *Apelleum*, qui volet, alter *opus*.
ectes vultum; *Juvenem* vix dixeris esse:
i mores spectes, dixeris esse *Senem*.
igro flavos habuit si Kostka capillos;
x nigro flavos reddit imago pilos.
iina fulserunt olim; nunc lumina fulgent:
anduit oris ebur, nunc quoque candet ebur.
hræ Virgineo malæ rubuêre pudore;
ec jam Virgineæ depuduêre genæ.

Frons

Frons erat insignis; restat sua gratia fronti :
Forma rotunda fuit, forma rotunda manet.
Est tamen, est aliquid, quod non satis exprimat
Ars; vires quamvis exerat illa suas. (aptè
Scilicet assiduo rorabat Sarmata fletu :
Picturæ fletum, quis det habere suum?
Picturæ si nemo tamen queat addere fletum,
Fletum *picturæ* Kostkius ipse dabit.
Nam queîs *assuevit*, dum *vixit*; flumina *pictus*,
Si cohibere *volet*, non cohibere *valet*.

NB. Fuit illi statura mediocris, & apta, dignitate cum venustate permistâ, os vultúsq; angelicus; color propè candidus, virgineo rubore aspersus in genis; capillus modicè ex nigro flavescens. faciei figura rotundior, oculi nitidi, sed præ copia sanctæ dulcedinis, quâ cor assiduè colliquescebat, uvidi interdum, ac lacrymabundi. Sacchinus in vita.

Aliud : (usque;
Cur non hîc pictum do Kostkam? Kostka *flet*
Hanc chartam *lacrymis* perderet ille suis.
Altera causa subest: & *Magnum* Roma vocavit;*
Non capit hæc *Magnos* charta; *pusilla fuit*.

Aliud

* ~~Clemens~~ Urbanus VIII. de Stanislao vivæ vocis Oraculo dixit : *Parvus Adolescens, Magnus Sanctus*.

Aliud ad imaginem Stanislai jugiter lacrymantis.

Iberibus lacrymis Kostkæ *distillat imago*:
Prototypi, credo, cœpit obire *vices*.
ndere dũ lacrymas jam *forma vicaria* cœpit;
Incipe tu lacrymas *sistere* Kostka tuas.

Aliud de eadem materia:

'ellet Metanœa novâ sub imagine pingi;
:lla tuas pingi Kostka juberet aquas.
'. *Metanœa*, *pœnitentia*.

liud ad imaginem Stanislai, & lacrymantis, & intùs divino amore æstuantis.

:urus Kostkam, non pingo brachia Kostkæ,
Non humeros, crines, lumina, labra, manus.
)etuis arsit, dum vixit, Kostka favillis,
'erpetuis fluxit Kostka superstes aquis.
hetypo similem studeã cùm pingere formã,
Nil, nisi do *flammas*, nil nisi, pictor, *aquas*.

De eadem materia:

bene vult Kostkã depingere, pingat *Amorẽ*:
erpetuis sed *Amor* lumina mergat aquis.

d imaginem Stanislai admodum pulchri, sed verecundi.

ce formoso faciles in Cœlite vultus,
ı toto nullus corpore nævus erit:

Explicat ingenuam ſyncera Modeſtia frontem,
Et triplex uno regnat in ore Charis.
Tota licèt toto ſic rideat ore *Venuſtas*;
Nulla tamen toto ridet in ore *Venus*.

De ejuſdem Verecundia.

Fortè *Pudor* pingendus erat; quo, neſcio, caſu
Koſtkiaden, aliud juſſa, tabella refert.
Viderat hoc pictor: nil hîc mutabimus inquit;
Aut *Pudor*, aut *inſtar* Koſtka *Pudoris* erat.

De ejuſdem vultu *Angelico*.

Angelicam meliùs formam, quæ reddat, imago,
Pictores inter lis fuit orta duos:
Parcite Pictores contendere, parcite, dixi;
Arbiter amborum, ſi juvat, unus ero.
Angelicam meliùs, qui certas reddere *formam*,
Koſtkæos vultus exprime, victor eris.

Ad imaginem Stanislai *lilia* præferentis.

Dic mihi quo veniant, dic Sarmata nobilis horto,
Candida, quæ præ te *lilia* ferre ſoles?
Non ſimiles generat cultiſſima *Gallia* flores,
Non ſimiles fructus fundit *Iberus ager*.
Non mittunt ſimiles *Pæſti viridaria* gazas,
Non ſimili *Ennæus* meſſe ſuperbit ager.
Ergo, cùm nullis ſint edita *lilia* terris,
Edita Koſtka tuo *lilia corde* reor.

Edita

Candida si fuerint sic *lilia*; cedite *Galli*:
Lilia Sarmaticus fert *meliora* Puer.

Ad imaginem Stanislai cum regulis Societatis JESU depicti.

Artificum nuper tabulâ sudabat in una,
Pingeret ut Kostkam, sat numerosa manus.
Ille supercilii geminos discriminat arcus,
Et geminæ digitos separat ille manûs.
Hic oculos humectat aquis, atque arte Magistrâ
Ducit in irriguas salsa fluenta genas.
Hospitium sacri cor hic dilatat Amoris:
Erigit hic collum, conglobat ille caput.
Protrahit hic nervos, patulas hic circinat aures;
Explicat hic frontem, crinibus ille tegit.
Tollit hic in facili salientes corpore venas;
Nam propè mentito sanguine vena micat.
Sunt alii doctâ, qui pingant arte, parerga;
Lilia pinguntur; *Regula* juncta fuit.
Jam tabulæ suprema fuit man⁹ addita; pulchrũ
Jam stat Apellei Kostka laboris opus.
Accessi, statuámq; oculis, animóq; pererrans
His memini artificem me monuisse modis:
Hoc tantùm, quod muta silet, mentitur imago,
Adde sonos; Icon non erit; ipsus erit.
Sic ego: sic contrà tabulæ primarius Author
Culpatum promptâ voce tuetur opus:

Ipſa locuturæ pictura vicaria formæ,
Suppeditante ſuos truderet arte ſonos:
Sed caſtigatis *adjuncta Modeſtia* labris;
Sed prohibet Koſtkam *regula juncta* loqui.

Ad imaginem, quod interiora Stanislai non exhibeat.

Lyſippus digitos, vultū, labra; lumina Mentor,
Praxiteles humeros fingat, & ora Myron.
Parte tamen meliore ſui, tum Koſtka latebit;
Nam mentem Koſtkæ fingere nemo poteſt.
Tantam ſi pueri *mentem*, quis fingere poſſet,
Lyſippo *Major*, *Major* Apelle foret.

ICONISMUS PRÆLIM. 2dus.

Exhibet D. Stanislaum ab una, ab altera parte Clementem XI. ſolennis Apotheoſios decretum Anno 1714 concipientem; ſupra utrumque Spiritus Sanctus è nubibus prominet, cum hac dicti anni Chronica epigraphe: EGO DOMINVS, QVI SANCTIFICO. *Exod. 31. 13.*

Ad D. Stanislaum.

Koſtka novus *Sanctus* fis; *deſinis* eſſe *Beatus*;
Quódq; novus *Sanctus deſinis* eſſe, *manes*.
Quid *novus*! *antiquū* potiùs te nomino *Sanctum*:
Poſthuma non *Sanctos* gloria, vita facit.

Ad

Ad Societatem Jesu.

Perdita fama *bona* eſt: non *es ter* ſancta; fuiſti :
Sancta *quater* nunc es : perdita fama *bene* eſt.

N B. Quater Sancta nunc eſt inchoativè ſaltem, ob decretum, quo decretus eſt Stanislao Sanctorum titulus; qui accedit S. Ignatio, S. Xaverio, S. Franciſco Borgia quartus.

Ad eandem.

Quæ numeras *octo*, quà *Sanctos*, quáq; *Beatos* ;
Fauſtus in *octavo*, nunquid es Ordo *gradu?*

Ad eandem.

Paucos nôrit humus *Sanctos*, paucóſq; *Beatos* ;
Innumerum numerum, credimus, axis habet.

Ad D. Stanislaum de futura Canonizatione :

Fallor? an inſolitum latè fervere triumphum,
Et feſtum, video, quà patet orbis, agi?
Non fallor; nam *Terra* parat, Tibi Koſtka, *triumphum.*
Koſtka tibi *feſtum*, quà patet Orbis, aget.
Jam ſudant variæ ſtudiis concordibus *artes*;
Quæque eſt in plauſus ingenioſa tuos.
Pingimus *addendo* : dum te *Pictoria* pingit,
Nil, quod Koſtkæis *laudibus addat*, habet.
Qui ſculpit, *demit* : dum te *Sculptoria ſculpit*,
Quidquam de *titulis demere*, crimen erit.
Grammatici certant, & adhuc ſub judice lis eſt,
Quis meliùs vitæ ſcripſerit acta tuæ.

Docta tuas *toto* laudes canit *ore Poësis* :
Laudibus inserpit *fabula* nulla tuis.
Te quoque *Rhetorice ferret super astra*; sed illam,
Prævenit *Virtus* : *hæc super Astra tulit*.

Ad Societatem Jesu.

Ter Sanctus Cœlum; *quater* at tuus *intonat* Ordo:
An quid habet *Cœlo Sanctius* Ordo tuus ?

De mutato Sanctorum & Beatorum, quos habet Societas, numero.

Tres fuerunt *Sociis Sancti*; sed *quinque Beati* :
Clemens Undecimus fecit utrimque *pares*.
Sancto, ne *Socius* desit, dat cuique *Beatum* :
Jam *bini* in partes *quatuor* orbis eant.

N.B. Sancti alias soli erant Ignatius, *Xaverius*, *Borgia*; *Beati Stanislaus*, *Aloysius*, *& tres Martyres Iaponenses.*

ICONISMI EXEGETICO - Parenetici D. Stanislai Kostkæ vitam, mortem, gloriámq; posthumam exactiùs, & ordine repræsentantes.

Primus : *Mater Stanislai*, *dum sacrum hunc fœtum utero fert*, *non sine stupore uterum ipsum sacro-sancto IESU nomine* (*quod purpureus exhibet color*, *& radii solares circumdant*)

dant) prodigiosè insignitum aspicit. Epigraphe : VICtrICIA natI arma VIDet. *Ovid. l. 14. Metam.*

Historiam hanc referunt : Bovius in Rhetorica Suburbano pag. 27, Knellinger in Panegyri Stanislai pag. 193, Bartoli in Vita l. 1. c. 1.

Impetus oratorius ad Stanislaum nondum natum;

Progredere ! Progredere ! in mundi hujus arenam, quisquis materni hîc uteri adhuc in umbra lates ! Si Hussæo Principi *Militia est vita hominis super terram* (Job. 7. 1.) *arma*, quibus vincas, te præ foribus opperiuntur : *In nomine Domini Exercituum est omnis armatura fortium.* *Armis defensivis* opus est ? habes hæc in nomine JESU, tanquam in instructissima *Panoplia* : non sic, aut septemplex Ajacis Clypeus, aut adamantina Martis tunica, aut impenetrabilis Plutonis galea, ut Nomen JESU, teget. In hoc & *Loricam fidei, & Galeam salutis*, si quæras, invenies. *Arma offensiva* desideras ? adsunt in Nomine JESU; hinc gladium spiritûs, hinc hastam fortitudinis, hinc sagittas amoris deprompseris. *Nomine IESV* (classicum hoc canit gradu 20 Climacus) *cæde inimicos, neque enim in cœlo, aut terra, potentiora sunt arma.* Hoc armatus *nomine*, generosè cum Turonensi Præsule

Martino exclamabis : *In nomine Domini IESU hostium cuneos penetrabo*, (*in vita.*) Hoc armatus nomine intrepidè cum Psalte Regio ad Salvatorem tuum canes : *In nomine tuo spernemus insurgentes* (Psal. 43 6.) Quod si non semper in campo prostare adlubet ; *Turris fortissima nomen Domini* , (Prov. 8. 10.) huc confuge : *pro muro munitissimo, atque tutissimo est nomen Domini Salvatoris IESU Christi* (Ephrem in vita,) post hunc te retrahe. Ne pugnes, ut *Andabata*; *Solem* habes in nomine JESU. Pictoribus crede; imò non Pictoribus, quibus, *quidlibet audendi semper fuit aqua potestas* ; sed ipsi æternæ Veritati crede ; Malachiæ 4. 1. *Nomen meum Sol Iustitiæ*, disertè edicenti. Progredere ! progredere igitur, in mundi hujus arenam, quisquis materni hîc uteri adhuc in umbra lates. Solus sis, ne time : *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* De victoria ne dubita : victoriæ auspicatissimum omen , imò arrham, maternus jam uterus habet. Non caret mysterio, literarum quaternio, qui gloriosum JESU nomen in Matre effingit.

Progredere ! Progredere ! & ipse fulgentissimas notas : I. H. S. & V. literæ H infernè suppositum, carneo in libro aspice, admirare ; & (si non Davus, sed Oedipus es) literis his initiali-

bus

; occini tibi crede fortunatiſſimum illud, &ce-
errimum quadriverbium : I-n H-oc S-igno
inces.

IMPETUS 2dus :

Quis putas puer iſte erit ? cui naſcituro *porten-
ta* præludunt, *miracula* obſtetricantur ? fe-
Stanislae, qui ſub tali Horoſcopo naſceris!
rè *ab utero vocavit* te Deus, dum tale nomen
preſſit Matri. Quàm *pauci* ſic *ſunt vocati* vel
er *Electos* ! Verè ab utero Matris *ſegregavit*
Deus, qui notam tam diſtinctivam inuſſit :
gua hæc fuit, quæ fore te prædiceret, non de
mmuni grege Sanctorum, ſed extra gregem, San-
um *egregium*. Felix Kriska tam inſigni privi-
io! *Prædeſtinationis* ne quære *ſigna* : in no-
ne JESU ſignum habes, *in quo oporteat nos ſal-
fieri* : Signum habes quod tecum rariſſimus
bebit, vel ex tot *duodecim mille ſignatis*. Quid
i ? quid tali puerperæ comparem ? *liber* es
tioſiſſimus, cui *nomen* ſuum impreſſit *typothe-*
Deus. Sed *librum Generationis* te, an *librum*
a appellem ? certè utroque titulo aptiſſimè
decorem ſic *parturientem*.

IMPETUS 3tius.

t Deum in Polonia *incarnatum* quis credat ?
Incarnatus eſt, quando in Kriskæ *carne* ap-
ruit JESUS. Minùs jam Orbis Chriſtianus

miretur, aut in corde Ignatii Martyris, aut sub axilla S. Eustorchii, JESU nomen; quando idem in ventre Kriskæ castissimè refulsit. *Beatus venter, qui te portavit*, ô Princeps nominum!

Nomen cum violis rosísq; natum,
Hyblam, quod sapit, atticósq; flores,
Nomen nectare dulcius beato, (Epig. 11.
Nomen nobile, molle, delicatum. Mart. l. 9.
Nomen Erythræis, quod litera facta Lapillis;
Gemma, quod Heliadum pollice facta notet:
Quod pennâ scribente grues ad sydera tollant.
Ibid. Epig. 14.

Aptè sanè divinus Anaglyptes te insculpsit Kriskæ; quia Margaritæ. Decuit talem gemmam tali nomine signari. *Benedicta tu inter mulieres Margarita*, quæ non *ore*, sed *ventre* hujusmodi nomen edis; non homines solùm, sed & miracula jam parere docta. *Benedictus fructus ventris tui JESUS. Benedictus etiam fructus ventris tui Stanislaus*, quia *benedictus, qui venit in nomine Domini*. Non *vas fragile, sed vas electionis es tu*, quæ *nomen JEsu portas coram gentibus* Aquilonis. Materno in utero exulta, quisquis ibi lates: ne solus appropinquante JEsu, antè tripudiet, quàm nascatur Joannes. Simili ortu cum novo *anno* nascere; nempe à nomine JEsu incipe, idq; sic toti vitæ inscribe, Paulino more ut vi-

ivas non tu, ſed vivat in te Chriſtus Jesus.

NB. Similes ſolutas inſcriptiones ſingulis Iconiſmis adiditurus eram , ſed præfinita brevitas manum de tabula traxit.

EPIGRAMMA

ad D. Stanislaum.

uſus adhuc Matris, quando ſub corde latebas,
nſcriptus Jesu nomine venter erat.
coronabat nomen Venerabile Phœbus,
ux ingens caſto didita ventre fuit.
i Venter Jesum; qui *Solem* Venter habebat;
Non *maternus* erat *venter*; *Olympus* erat.

ud de purpureo, ſanguineóq; colore,
quo nomen Jesu expreſſum emicuit.

rpureo, rutilat, Kriskæ de *ſanguine*, Jesus:
Hunc *Conſanguineum* dicere Koſtka potes.

Aliud de eadem materia :

æ ſignant tumidum Kriskæ miracula ventrē,
eccur purpureis *erubuêre* notis ?
ventrem, credo, *miracula caſta rubeſcunt*;
Hac visâ caſti parte *rubere* ſolent.
era cauſa ſubeſt; ipſum fert Kriska ***Pudorē****
et ***Pudor*** **hoc *oſtro* ſignificandus erat.**
(* quia Stanislaum.)

ud de nomine Jesu; ut eſt inſigne Societatis, ad Kriskam gravidam.

Bachus

Bacchus ut ex hederis, ex fumo noſcitur ignis;
Noſcitur ex ſignis res ita quæque ſuis.
Jeſuitarum dum fert *inſignia* corpus,
Ieſuita tuo *corpore*, credo, latet.

De eodem Ssm̃i nominis ſigno victorioſo.

Rectè prægnantis victricia ſigna coronant
Viſcera; quem claudunt viſcera, victor erit.
Victor erit: vincet *mundum*, *carnémq*; *ſtygémq*;
Hercule major erit *: par tribus unus erit.
* ne Hercules contra duos.

De eodem inſigni.

Iure vocabo *tuum*, tua quod ſignacula præfert;
Alterius non eſt, quod *mea* ſigna refert.
Jure vocas horti Dominum, ſua nomina portæ,
Qui dedit, & cujus ſignat agalma fores. (tur;
Cujus ſit num̃us, quam monſtrat, imago loque-
Litera ſit cujus, muta ſigilla docent.
Pompejanus erit, qui fert inſignia *Magni*;
Cæſaris, at qui fert, *Cæſareanus erit.*
Cuja domus, cujúmq; pecus, cujúſq; Miniſter,
Quæ portantur ab his ſigna, docere ſolent.
Parturiens & adhuc *cujus* ſit Kriska requiris?
Signatum corpus conſule, certus eris. (kam;
Nempe ſuo gravidam, dum ſignat nomine Kriſ-
Signatam miſit ſub ſua jura Deus.

dubitabis adhuc cujus, qui ventre moratur,
Sit partus; dubio te mea musa levet :
partus ventrem sequitur, * ut jura loquuntur,
Ut *venter*, Jesu, sic quoque *partus* erit.

* Licentiâ Poëtis usitatissimâ.

De eodem nomine.

s gravidam Jesus, cur signet nomine Kriskã ?
Hæc est ingenio causa reperta meo.
a Deus servat : *posita est custodia ventri* ;
Demonstrat partum sic Deus esse suum.

le in Corpore Iuris, de ventre in possessionem mittendo, & curatore ejus. D. 37. tit. 8. de inspiciendo custodiendóq; partu, D. 25. tit. 5.

iud de Sole, quo nomen Jesu circumdatum fuit in carne Margaretæ Kriskæ.

turiens *ipsum* dum fert præ pectore *solem*
Margaris ; inverso nomine *Clara* fuit.

Aliud de eodem :

quid apud *gravidã* faciet *sol*, dicite, Kriskam ?
An forsan * *Phœbes* munia *Phœbus* aget ?

* *Phœbe, seu Lucina, Dea puerperiis præfecta.*

Aliud de eodem Sole ad Augurem.

ım fert gravido Mater, præ pectore solem ;
Augur, dic proles, dic mihi, qualis erit ?

Augur respondet :

les illius, quæ fert præ pectore solem,
Filius (augurio credite) *lucis* erit.

De eodem ſole ad Stanislaum.

Solares inter *radios* enaſceris Infans :
Claros natales, quis neget, eſſe tibi ?

Aliud ad eundem :

Ante tuos ortus, qui ſpargis, Sarmata, *ſolem*,
Dic mihi, quam lucem natus in orbe dabis ?

ICONISMUS 2dus.

Exhibet D. Stanislai incunabula hoc inſcripta encomio : DIGNA ILLIS, QVOS AVREA CONDIDIT ÆTAS. *Ovid. in conſolatione ad Liviam.*

EPIGRAMMA.

Priſca Stanislaum, ſi ſæcula fortè tuliſſent,
Heroes inter gloria prima foret.
Cederet Alcides, quamvìs eliſerit angues
In cunis, quando jam Jove dignus erat.
Baptiſmo ſtygium devicit *K*oſtka draconem ;
Et Puer Alcidâ fortior ergo fuit.
Cederet, auratum rapuit qui vellus, Jaſon ;
Tentârit quamvìs per mare primus iter.
Major honos ſæpe eſt, quàm quærere, parta tueri ;
Caſus ineſt illic, hîc erit artis opus.
*K*oſtka tuebatur Vellus : quærebat Jaſon ;
Auratum *K*oſtkæ *Gratia* vellus erat.
Cederet Argivæ claſſis Dux, magnus Achilles,
Hectoreâ quamvìs turgeat ille nece.

Tincti * Phyliridæ non ſit penetrabile corpus;
Ille tamen telis, ſub pede læſus, obit :
Tinctum tota nequit Styx *ullibi* lædere *K*oſtkam:
Diſcite: plus *Cœli*, quàm *Stygis unda* valet.

* *NB. Phylirides Achilles eſt, qui, ut fingunt Poëtæ, tinctus ſtyge, invulnerabilis fuit toto corpore, exceptis pedibus ; Stanislaus omnino invulnerabilis fuit, quia poſt baptiſmum nullo peccato læſus.*

De partu Stanislai

Conceptus Poëticus.

Parturiens longas iterat dum *K*riska querelas,
In partes ſciſſus dicitur eſſe Polus :
Pierides puerum; Charites voluêre Puellam,
His Venus, aſt illis docta Minerva favet.
Miſcentur variis Divarum prælia verbis,
Neutrali medius Jupiter aure ſedet.
Quid fit ? ſurgit Amor: *per ego mea ſpicula juro*
(Inquit Amor) *non hic, femina, partus erit.*
Pro Máribus pugnant Menſes, Fluviiq; minaces:
Omnia qui vincit, pro mare, pugnat *Amor*.
Dixit, & auratum manibus ter concutit arcum:
Et cœlum tumidis perſtrepit omne minis.
Jupiter audacis verba aſpera riſit Amoris:
Eſſe tamen caſſas noluit ille minas.
*K*riska parit: partus *Puer* eſt: dum cernit Amori
Tam ſimilem, *nato Fratre* triumphat Amor.

De

De donis natalitiis Stanislao datis.

Conceptus Poëticus.

Kriska parens Kostkæ, Kostká vix edidit; inter
Tres oritur quando pugna novella Deas.
Nam Kostkam *Natura* sibi, *Fortunáq;* poscit;
Gratia, quæ poscat, tertia Diva fuit.
Iupiter ut litem dirimat, *date dona Puello*;
Kostkam quæ donis vincet, habebit, ait.
Dixerat: in tenerũ cumulantur munera pupum;
Vincere muneribus vult *Dea* quæque suis.
Effudit plenis *Natura* profusior alvêis,
Munera queîs animi, corpora queísq; nitent.
Excussit *Fortuna* sinum: Mantissáque factum est,
Quidquid habet *Cornu Copia* Diva suo.
Gratia Cœlestes, dat munera mystica, gazas;
Gazis his venum totus Olympus eat.
Arbiter est donis lectus, quem nulla moveret
Gratia; non traheret factio; *Momus* erat.
Munera lustrabat *Momus*: me judice præstant
Munera, quæ tribuit *Gratia*, *Momus* ait.
Hinc *totus* factus *tuus* est ô *Gratia*! Pupus.
Erravi: totus *Gratia* Pupus erat.

De Patria Stanislai.

Ex *Aquilone malum*: Quid tum? Kostka ex Aquilone est.
Quid jam? fert *Sanctos* ipsa *propago mali.*

Lurida

Lucida *nox Solē*, fert *concha* ſcaberrima *gemmas*,
Sæpe creat molles aſpera ſpina roſas.
Si fert ſpina roſas, nox Solem, concháq; gemas,
Cur ferat haud *Sanctos* ipſa *Propago mali?*

De applauſu Genethliaco Septentrionis in ortu Stanislai.

Conceptus Poëticus.

Arctous Koſtkam vix natum viderat *axis*;
Ilicet in plauſus *Arcticus axis* abit.
Dicuntur medio celebrâſſe choragia Cœlo,
Parrhaſiâ quotquot Sydera parte micant.
Orion ſtrictum pacatior abjicit enſem:
Deponit luctus *Caſſiopea* ſuos.
Omnia non ſolitis collucent Sidera flammis,
Omnia non ſolitos Sidera dántq; choros.
Inter Sidereos (quis credat?) ſola triumphos
Luna dolet. Sed quæ cauſa *doloris* erat?
Jam tunc *Luna ſuis* Koſtkam fore *præſciit* olim
Fatalem *Turcis*: *præſcia Luna* dolet.

NB. Turcas, ut poſtea videbimus, Stanislaus aliquando inſigni clade contudit, quando Polonis ſuppetias venit.

ICONISMUS 3tius.

Proponit Stanislaum puerulum extruendis arulis, aliiſq; devotis exercitatiunculis piè occupatum.

Epigraphe : CVM ADHVC ESSET PVER, *l. 2. Paral 34. 3.* ÆDIFICAVIT ALTARE DE LAPIDIBVS, *l. 3. Reg. 18. 32.*

Epigram. ad Stanislaum.

Macte Puer: *Sanctis* aras nunc extrue: *Sancto*
Extruet has olim Virq; puérq; *tibi*.
Orna nunc *aras*, *aris ornaberis* olim;
Ipsáq; quin miseris *ara salutis eris*.

Aliud de eodem.

Vixdum Kostka *puer risu cognoscere Matrem*
Cœperat, & blæso frangere verba sono;
Quando posthabitis meditatur seria ludis,
Maturúsque sapit nil *puerile puer*.
Nam modò scribentem videas, videásq; legentē:
Jam lassat teneras structilis ara manus.
Ante *senem puer* est: per Kostkam vertitur ordo:
Scilicet *antè Senex*, *quàm puer* ille fuit.
Quos dabit hæc olim fructus ætatula! cùm sit
Tam bona *sementis*, quàm bona *messis* erit!

Parergon morale ad Juventutem nostratem.

Kostka *puer teneris*, qui sic *maturuit* annis;
Instruit ætatem cæca Juventa tuam.
Téq; docet viridi mores secteris ut ævo,
Quos deceat, senium dum venit, esse tuos.
Doctoris ne sperne tui, quos aspicis, annos;
Quod discat *Senium*, sæpe *Juventa* docet.

Non ſolis mihi crede ſubeſt *ſapientia canis* :
Nam *ſene* ſæpe *puer* præ *Salomone* ſapit.
NB. Salomon in juventute ſapientiſſimus, in ſenio corruptus, ſapientiæ gloriam amiſit.

Aliud ad eoſdem.

Non pueris, ſed agenda viris, *Puer arcticus* egit,
Dum ſtruit artifici parva ſacella manu.
Quin etiam pia thura focis imponit, & addit
Vota, vel accenſis fervidiora *focis*.
Tale rudimentum teneris puer edidit annis,
Quíque futurus erat grandior, antè docet.
Scilicet ex bulbo, quâ ſit flos indole, conſtat:
Mane monet, quæ ſit tota futura dies.
Si bene floruerint Segetes, erit area dives; *
Si bene floruerit vinea, Bacchus erit.
Flore ſemel læſo pereunt viciaq́; fabæq́;,
Et pereunt lentes, advena Nile, tuæ.
Si bene floruerint teneri Virtutibus anni,
Integra Virtutum poſtea meſſis erit.
Flore ſemel læſo, viridis dum ducitur ætas;
Ad *frugem* veniet rara ſenecta *bonam*;
Qui *Stanislaus*, puer eſt; pòſt (credite) *Sanctus*;
Qui *puer* eſt *vitulus*; poſtea *taurus*; erit.
* *Ovid.*

Ad Senes noſtrates.

Koſtka *puer*, *puerile* nihil, * his exhibet annis;
Nam *puer* his annis cernitur eſſe *Senex*.
* *Licentiâ Poëtis familiariſſimâ.*

At nunc (quod nostri non parvum dedecus ævi
In senio, *pueros* cernimus esse, *Senes.* [est)

ICONISMUS 4tus.

Adumbrat Stanislaum Puerum ad obscœnos sermones continuò erubescere, cohorrere, animo linqui & collabi solitum. Epigraphe super lapsum: CasVM LaVDe LeVabat *Silius Italicus l. 5.* ADsCItVs totIes In genVs oMne IoCI. *Ovidius l. 1. trist. El. 7. Ex ore lapsi ebullit aureis literis, ceu epinicion, illud Senecæ:* obrVI VInCenDo DIDICI. *Seneca in Troad.*

Epigramma de Stanislao ad prætextata verba erubescente.

Kostkaas quoties turpis vox Verberat *aures:*
Kostkaa toties *erubuere genæ.* (scit,
Ecquid in innocuo *color* hic? quo Kostka rube-
In *Scurris* potiùs debuit esse *pudor.*

Ad Stanislaum versantem inter Belliduces, mensam Paternam *Cypriis salibus* malè *condientes.*

Confluit in patriam quando *flos Martius* aulam,
Lascivis inter-cogeris-esse jocis. [rent
Quid cum militibus puero est? & *candida* flo-
Idalias inter *lilia* sæpe rosas.

Aliud

Aliud de Stanislao labente.

puerum mirâ vafer utitur arte *Cupido*,
Telifer ille puer, *lethifer* ille puer:
[t *pectus Kostka* feriat, collimat in *aures*,
Telorum supplet *lingua petulca* vicem.
cilicet *Idalias* in *Cor* ex *aure sagittas*,
Ille puer fluxum novit habere suum.
Ↄ *astute puer*! tamen est *astutior* alter,
Declinat jactus, nempe *cadendo*, tuos.

Ad eundem labentem.

Macte nova Virtute puer: sic itur ad astra: *
Fallor: eò haud *itur* sic bene; sed *caditur*.

* *Virgil.*

De eodem.

Aures in *pedibus* dicuntur habere *Monarchæ*,
Indè *locuturi sternimur* ante *pedes*:
Rem Puer hic vertit: dum fit de *Cypride* sermo;
Non *stat*. Nónne suas portat in *aure pedes*?

Aliud:

Scribitur in *terras auditâ* Cypride *lapsus*
Kostka; sed erratum est, *lapsus in astra* fuit.
Auditâ cecidit, non *visâ* Cypride Kostka:
Cyprida *vidisset, mortuus* ille foret.
Auditâ sic Kostka cadit, dum Cypride; faustùm
Kostka *cadit*: casum *Gloria, Láusq;* levant.
Castior à lapsu semper, mihi crede, resurgit;
Faustior Anteo (quis neget?) ergò fuit.

Perge *Puer* casti per honoris Olympia *curre* :
Quo pede cœpisti, sic bene porrò *cade*.

Aliud.

Kostka cadit, quoties audit *triscurria*: quidni ?
Obscœnus sermo *lubricus* esse solet.
Hippolytus nostri toties ubi corruit ævi ;
Lilia sunt illis crescere visa locis.

Aliud.

Labitur in terram noster dum Sarmata ; *lapsus*,
Quàm quando *stabat*, credite, *Major* erat,
Dent *varios*; *similes* non dant hæc tempora *casus*,
Cur ita ? qui *cecidit* Kostka, reliquit humum.

Aliud.

Non erat is *casus*, qui sic *procumbere* fecit :
Ardua, qui peteret Sidera, *saltus* erat.

Aliud.

Kostka *cadit* quoties *Venus* improba *venit* ad au-(res :
Talis, non alius, * *Casus ubique valet*. **Ovid.*

Aliud.

Ut *stet* Kostka *cadit* ; Venerémq; *cadendo trium*-(*phat.*
Quo *cecidit*, *surgant casta trophæa* loco.
Quid puer hic *stando* faciet ? retulisse triumphos
Hoste triumphato, quando *cadendo*, potest ?

Aliud.

Acta Stanislai dignis quis laudibus *æquet* ?
Cujus vel *lapsus*, *culmina laudis* habent ?

Aliud

ſſiſias nivibus carnem *Franciſcus* obruit;
Obruat ut flammas ô *Cytherea*! tuas.
duit in ſpinas corpus *Benedictus* acutas;
Obruat ut flammas ô *Cytherea*! tuas.
inguineum naſo fundit *Xaverius* imbrem;
Obruat ut flammas ô *Cytherea*! tuas.
Angelicus raptis *Thomas* ſe torribus armat;
Obruat ut flammas ô *Cytherea*! tuas.
:xpuit admorſæ *Nicetas* fruſtula linguæ;
Obruat ut flammas ô *Cytherea*! tuas.
Quid facis *Ammoni*? medios ſalit ille per ignes;
Obruat ut flammas ô *Cytherea*! tuas.
Quò præceps *Icelina* ruis? ſe mittit in altum;
Obruat ut flammas ô *Cytherea*! *tuas*.
Quid vindex *Aniene* patras? ſibi lumina vellit;
Obruat ut flammas ô *Cytherea*! tuas.
Eſt, qui ſuffixis exulceret aſſibus ungues;
Obruat ut flammas ô *Cytherea*! tuas.
Eſt, qui ſuppoſitis reclinet membra favillis;
Obruat ut flammas ô *Cytherea*! tuas.
Hæc mutilat pulchras inhonoro vulnere nares;
Obruat ut flammas ô *Cytherea*! tuas.
Hæc volat in medios plantâ victrice caminos;
Obruat ut flammas ô *Cytherea*! tuas.
Illa recidendum tingi jubet unguine collum;
Obruat ut flammas ô *Cytherea*! tuas.

Altera lethifero discludit pectora ferro;
Obruat ut flammas ô *Cytherea*! tuas.
Tam varius varias quamvis admoverit artes;
Obruat ut flammas ô *Cytherea*! tuas:
Præ cunctis *sapuisse Puer* mihi Kostka videtur;
Ut Veneris flammas *obruat*; ille *cadit*.

Aliud : (phi:

En pugnæ nova forma; novi nova forma trium-
Gens *fugit*, ut *vincat*, *Parthica*; Kostka *cadit*.

Parerga moralia ad Juventutem Nostratem. I.

Quid *facies*, *facies Veneris* si *venerit* ante?
Ne *sedeas*, *sed eas* : ne *pereas*, *per eas*. (res?
Quid facies, cùm spurca Venus, jam fluxit in au-
Fac, quod *Kostka* facit: ne *cadat*: ille *cadit*.
Dum *cadit*, *opprimitur* labentis mole *Cupido*;
Dum cadit, *elisâ elabitur* aure Venus;
Dum *cadit*, Angelici *casum* mirantur Ephebi;
Si non sic *caderet*, fecerat ille minus.

2dum ad eandem.

Bernardinus ubi est? ubi nunc est *Kostkius*? aure
Jam plenâ Venerem nostra Juventa *bibit*:
Bernardinus ubi est? ubi nunc est *Kostkius*? ore
Jam pleno Venerem nostra Juventa *vomit*.
O os! ô aurem! quæ Vos satis *æquora purgent*!
Quod non *unda* potest; *Infera flamma* potest.

ICO-

ICONISMUS 5tus.

oculos ponit Stanislaum Viennensi jam itineri studiorum causâ accinctum, & Parentibus valedicentem. Epigraphe super Parentes: OSCVLABANTVR EVM DOLENTES. *Isaia 20. 38.*

EPIGRAMMA:

go Stanislaus charis divulsus ab ulnis,
Ibit in austriacas, extera regna, plagas!
atris summus amor; Patris ibit summa volu-
Ibit Kostkææ *Vitáq; lúxq;* domûs. (ptas!
t; & externis (heu!) Kostka *peribit* in oris:
Irreduces ibit scilicet ille *vias*.
im licet, *irreduci* date basia mille parentes:
Dum licet, *æternũm*, dicite, *nate vale*.

ICONISMUS 6tus.

tit Stanislaum in Archi-Gymnasio Viennensi Doctrinæ Virtutúmq; radiis inter Condiscipulos praeminentem. Epigraphe: NEC PARVVM DECVS. *Silius Italicus l. 2. de bello Punico.*

pigram. de Stanislao ad Universitatem Viennensem.

 Sit

Sit *puer*; *Auſtriacas puer* hic *illuminat oras,*
Illuſtrátq; tuas, clara Vienna, ſcholas. (las;
Diſcipulos quot habes, tot habes Academia ſtel-
Inter at has ſtellas, *Cynthia*, Koſtka fuit.

2.

Koſtkiades alios tantùm Virtutibus antêit
Ante alios quantùm Pegaſus ibat equos.

3.

Major in exiguo regnabat corpore Virtus;
Maximus in *Minimo* ſe probat eſſe Deus.

4. Doctrina Stanislai.

Conceptus Poëticus.

Ipſa *Viennenſem* viſebat *Gymnada Phœbus,*
Pierides junctæ, junctáq; *Pallas* erat.
Attraxit *Clarias*, præ cunctis *Koſtka* ſorores:
Koſtka Viennenſis gloria prima ſcholæ.
Legerunt Proſam, legerunt Carmina Muſæ;
Carmina lecta placent, Proſáque lecta placet.
Fit plauſus: *Pindi duo Culmina divide Phœbe,*
Divide cum Koſtka, turba novena canit.
Addidit: *& Koſtkā dum cernis, plaude Minerva;*
Si ſine Matre Dea es, non ſine fratre Dea es.

5.

Stanislaus in exercitationibus ſcholaſticis pia tractabat argumenta, & plurimùm Cœli Reginæ laudes. Sacchinus in vita p. 1. c. 3.

CON-

:tè vagabatur turbæ ſociata ſororum
Calliope, nitidas molliter uncta comas.
mq; peregrinos Helenes meretricis amictus,
Induerat, poſitâ Virgine, tota cohors.
ecorum prædata animos, prædata latinos,
Mille canit *Veneres*, mille petulca *Joves*.
ſtkiades meliora docet, nam Myſta pudoris,
Expiat inceſtis ſpurca Lycea choris.
ridáſq; monens caſtum ſpirare pudorem,
Eſſe procul *Veneres* juſſit, & eſſe *Joves*.
:mplóq; docet; merito vel pangere grates
Chriſto, vel laudes clangere, Virgo, tuas.
t certè caſtis modulari carmina plectris,
Carmina Chriſticolis non inhonora choris.
ofuit exemplum; puduitq; errâſſe Camœnas,
Jámq; canunt caſto, quod decet, ore cani.
cite *Virgineas* iterum nunc ergo *Camœnas*;
Quippe *Meretrices* ante fuêre *meræ*.

6. Alius ſimilis.

ıæ priùs inceſtæ fuerant, Te, *K*oſtka, Magiſtro
Pierides Paphios dedidicêre modos.
ıq; locum *Veneris* ceſſit pulcherrima *Virtus*;
Deſecratus eras; es modò, *Pinde*, *ſacer*.
:*urea Pierides caſto* date *ſerta Magiſtro*;
Cingite *Virgineum*, *Virgine* fronde, caput.

B. Daphne virgo in laurum mutata à Poëtis fingitur, hinc laurus virginea.

ICONISMUS 7mus.

Effigiat Stanislaum ante Crucifixum studia sua Deo identidem commendantem, & cum Davide ad Dominum sic suspirantẽ: DIsCAM IVstIfICatIones tVas. *Psal. 118.*

EPIGRAMMA.

(summus
Ab Jove *principium* semper, *medium* ab Jove,
Kostka tuis studiis ab Jove *finis* erat. *

Ab Jove principium Musæ! Jovis omnia plena:
Quàm bene de studiis dixero Kostka tuis.

*Virgil.

2.

Kostka sapit; Cœlo Cœlestes devocat *artes*:
Certiùs ex ipso fonte petuntur aquæ.

ICONISMUS 8vus.

Repræsentat diligentem Stanislaum, in Museo librorum copiâ undique coronatum: Epigraphe: NON SEGNIS ERAM, DISCINCTAQVE IN OTIA NATVS. *Ovid. l. 1. Am. el. 9.*

Epigram. ad Stanislaum.

In te *Nobilitas, Virtus, Industria* certant:
Cûi tribuat palmam nesciat ipse *Paris.*

2. De

2. De eodem.

Abſque labore nihil: vendunt Dii cuncta labore:
Artes hoc pretio Koſtka *licetur; emet.*

3. (Koſtkæ,

Tempora ſunt ſtudiis; Precibus ſunt tempora
Diviſum tempus cum *Jove, Phœbus* habet.

4.

Koſtka *vacat ſtudiis:* Koſtkæ Deus ipſe *Magiſter:*
Ipſa, *liber* mundi machina tota, fuit.
Dive tibi vaſti *liber* eſt ſi machina mundi:
Dic ubi ſit tanti *bibliotheca libri?*

5. Parergon morale ad otioſos.

Totus mox *orat*, totus mox Koſtka *laborat*,
Idalio nullas paſſus ab igne faces.
Tu quoque Virginei tangit quem cura pudoris;
Sic fuge, quæ torpens otia Cypris amat.
Audi *Naſonem*: *finem qui quæris amoris,*
Cedit amor rebus, res age, tutus eris.
Otia ſi tollas, periêre Cupidinis arcus,
Extinctæq; jacent, & ſine luce faces.
Quæritur Ægyſtus, quare ſit factus adulter?
In promptu cauſa eſt: deſidioſus erat.
Verba movent exempla trahunt: ſi Naſo *movere*
In rem te nequeat *Lentule*; Koſtka *trahat.*

ICONISMUS 9nus.

Exprimit Koſtkam inter varia ſcholaſticæ pietatis
exer-

exercitia. Epigraphe supra illum: GRATVS ABVNDE EST ; ET FINEM PIETAS CONTIGIT ILLA. *Ovid. l. 4. de Ponto. E. 8.*

Nil *inconsulto* faciebat *Apolline Kostka* :
Eucharicus Kostka Christus, Apollo fuit.
Hinc petit ante scholas, oracula sacra ; peticum
Huc iterum claussis ventitat ille scholis.
Consulit hunc *Phœbum* prudenter Kostka; *salutis*
Non poterat meliùs *consuluisse* suæ.

2.

Eucharicum qui *manè Deum, seróq;* salutas,
Vis dicam quid sis ? *officiosus homo es.*
Profuit officium : quoties hic Phœbus aditur,
Doctior indè redis, *sanctior* indè redis.

3. Parergon.

Demitur haud studiis tempus, quod cedit O-(lympo,
Ad quævis *Pietas utilis esse* solet.
Utilis est Musis: experto credite Kostkæ:
Orator factus Kostka *precando* fuit.

NB. Observatúmq; est, cùm initio haud admodum inter Condiscipulos emineret, paulò pòst, cùm jam Rhetoricæ operam daret, in Primorum venisse numerum, quamvis in studia pietatis operam conferret plurimam, ac perexiguum quiddam derivaret in studia literarum. Sacchin. in vita, p. 1. c. 3.

Invi-

4.

Invitatur juventus ſcholaſtica, ut orantem in templis Stanislaum conſideret, & imitetur.

Huc ades Aoniis pubes excita Palæſtris:
Quem Koſtka in Sacra ſe ferat æde, vide.
Mens immerſa Deo, divino liquitur æſtu:
Ectaſas ô quantas cogitur illa pati!
Jam ſcandit ſuperas, divina palatia, ſedes:
Ter Sanctus ſuperis concinit illa choris.
Jam ſubit infelix, Plutonia regna, barathrum:
Ex Erebo vix non exanimata redit.
Si corpus ſpectas; flectit *Reverentia* corpus,
Lunatúmq; premit frigida Saxa genu.
Componit totum *divina Modeſtia* vultum,
Angelicus toto ſpirat ab ore *decor*.
Dextra decuſſatim præ pectore juncta ſiniſtræ; (eſt,
Defluit in ſtratum lumen utrumq; ſolum.
Tenvia jam rumpunt imis ſuſpiria fibris,
Jam ſtrepit in calidas lingua ſoluta preces.
Enthea ſe toto ſpargunt incendia corde,
Os ipſum, cordis ſigna flagrantis habet.
In templo talem ſacris dum cernis adeſſe:
Dic, an *Koſtka* ſacris, an *Seraphinus* adeſt?

Pietas Stanislai & amor in B. V.

Matrem Koſtka vocat, colit & pro Matre Mariã;
Quid quid conatur dicere: Mater erat.

Mater pagellã, dum ſcribitur, implet utramque,
Quidquid agat, totum Matre coronat opus.
Materies Mater proſæ eſt, dum proſa paratur:
Fit carmen Mater, carmina quando fluunt:
Jam ſine *labe* canit *genitam*: *Conceptio* pulchros
Koſtkæ *conceptus immaculata* parit. [bem;
Verſibus hunc noſtrum Natam jam ducit in or-
Natalem Matris filius ipſe canit.
Se Mater teneris Cœlo jam dedicat annis:
Exemplum Matris Koſtka ſequaris, ait.
Jam ſacrâ ſubitos deſcribit in æde labores;
Et puer à tenera Virgine diſcit opus.
Maternas alio decantat tempore tædas,
Atque maritali ſubdita colla jugo.
Utq; probet tædas; pro ſe non approbat illas:
Non placet exoſo ſubdere colla jugo.
Bethlæis aliàs Matrem deſcribit in antris;
Et grandi natum concinit ore Deum:
Atque ſua de Matre Deum, dum concinit ortum;
Se fratrem Magni jubilat eſſe Dei. (gnæ
Cætera quid memorẽ? nullo non tempore Ma-
In laudes Matris Koſtka diſertus erat.
Reddita ſit (quæris) tali quæ gratia Nato?
Gratia, crede mihi, reddita multa fuit.
Moribus hic quantùm, quantùm profecit & arte!
Nati profectus, gratia Matris, erat.

Virgi-

Virginitas calidos Juveni *ſervata* per annos,
Servatrix caſtæ gratia Matris erat.
Lethali nunquam maculata eſt crimine vita:
Integritas vitæ, gratia Matris erat.
Convenit ægrotum Mater, colludit JESUS:
Gratia *conventus*, gratia *ludus* erant.
Morbus abit, dum Mater adeſt: curatio Nati
(Ne dubites:) medicæ gratia Matris erat.
Koſtkiades JESU Socios admittitur inter;
Admiſſus quod ſit, gratia Matris erat.
Gratia Matris erat Tyronis tam bona vita;
Tam bona mors *Sancti*, gratia Matris erat.
Dum ſic officiis, dum ſic certatur amore,
An palmam Mater, filius ánne tulit?
Dum pius in Matrem ſic arſit filius, illa
Tunc verè *pulchri Mater amoris* erat.
Tanta ſuo Mater præſtat dum munera Nato:
Verè *Fortunæ filius* ille fuit.
Non miror Matrem Nato faviſſe; Parenti
Cùm ſic *blandiri* noverit ille ſuæ:
Non miror Natum Matri ſtuduiſſe; ſtudenti
Cùm Nato donet præmia tanta Parens.
Tu ſimili, *lector*, tracta pietate *Mariam*;
Alba Gallina tu quoque *pullus* eris.

NB. Erga Dei beatiſſimam Genetricem jam prorſus animum induerat filii, parentémque appellare ſuam in omni ſermone conſueverat. Sac-

chin. in vita, p. 1. c. 2. In exercitationibus scholasticis pia tractabat argumenta, ac plurimùm Reginæ Cœli laudes. Idem. p. 1. c. 3.

ICONISMUS 10mus.

Exhibet Stanislaum, nocturno tempore, ut domesticos fallat, surgere solitum.

Epigraphe : nVnC noCte VtenDVm. *Silius Italicus l. 7. de bello Punico.*

Epigram. *Stanislaus ipse loquitur.*

Nox sit *centoculo* quamvìs *oculatior Argo*;
Plus *uno* cernit *lumine*, *lusca* dies.
Omnia lusca dies cernit; tibi *Kostka* latendũ est.
Non mihi *Lusca dies*; *nox* mihi *cæca* placet.

2.

Non jacet in molli veneranda *Scientia lecto*;
In *lecto Virtus* nec generosa jacet.
Et *Virtus* cordi, cordíq; *Scientia* Kostkæ est,
Hinc toties noctu surgere Kostka solet.

3.

Spectari non vult, quoties it Kostka *precatum*:
Frustra est : *spectator* totus *Olympus* erit.

4. *Conceptus Poëticus.*

Sæpius orantem nocturno tempore *Kostkam*
Vidit, & *attonitis luna* stupebat *equis*.
Vidit, & hunc *Vigilem* jam *castiùs arsit Ephœbum*:
Endymionei displicuere *thori*.

Viderunt *stellæ* : tenuit miratio stellas :
His precibus *fixam* quamlibet esse putes.
Viderat insolitos devoti pectoris ignes
Marspiter : hic juvenis me magis ardet, ait.
Cassiopea pios dum vidit ab æthere *fletus*;
Hi præstant, inquit Cassiopea, meis.
Quot quot viderunt has castas Sidera flammas :
Flammis his, flammas posthabuêre suas.
Sola *Venus sacros* risit petulantiùs *ignes:*
Nempe *suo Juvenem* mallet ab *igne coqui*.

5. Ad Kostkam in Saxo secubantem à fratre suo.

Molliculis cur nulla tumet tibi culcitra plumis?
Cur Saxo ponis semirecline caput?
*K*ostka sapis: quamvìs alio *Pudor* esse grabato
Tectior; haud alio *tutior* esse queat.

6. Ad eundem.

Conceptus Poëticus.

Vidit Amor, pueriq; parens te vidit Amoris:
Unanimes duro condoluêre thoro.
Si patiaris, Amor proprias sibi *vellicet alas*;
Pulvinar capiti commodet indè tuo.
Sed renuis, puerúmq; abigis, pueriq; parentem;
Nec tibi vis rigidum molliat ille thorum.
Luceat è reliquis quamvìs sapientia factis;
Hoc factum nequeo, *Kostka*, probare tuum.

Debuerant *gemina velli radicitus alæ* :
Ad mala sic factus *tardior*, iret *Amor*,

7. Parergon morale : *quis sit lectissimus?*
Esse Vir, aut *Juvenis*. quisquis *lectissimus* optas,
Cum Kostka *lectum* neglige ; talis eris.

ICONISMUS IImus.

Repræsentat Stanislaum à Paulo Fratre Pietatis & modestiæ causâ, variè vexatum:

Epigraphe supra Stanislaum :

NIMIS SEVERVS CREDERIS ESSE NESCIENTI.
Sidonius in laude Narbon. Urbis.

Epigraphe supra Paulum : EXARDESCET CONTRA EVM. *Iob. 18. 9.*

Epigram.

Credite Nasoni : *Fratrum quoque gratia rara*,
Rara fuit Pauli gratia ; nulla fuit.
Rara Stanislai : *fustes* & *verbera* pensat
Officiis ; *rarâ rarior* illa fuit.

2. Ad Stanislaum pietatis causâ vexatum.
Sacratas it Kostka frequens ad Numinis ædes,
Ut litet æterno Vota, precésq; Deo.
Absentem Frater queritur, reducémq; flagellat
Verbis, ceu magnum, verberibúsq; reum.
O sanctum puerum! summum si templa subire
(Quod pietas aliis) sit tibi Kostka scelus.

3. De

3. De Eodem ad Paulum Fratrem.

Gymnasium duplex studiosus Kostka frequentat,
Gymnasiúmq; forìs, *Gymnasiúmq;* domì.
Gymnasium Spartana domì *Patientia* pandit:
Hoc in *Gymnasio Paule Professor* eras.
Verbis *activis* & *deponentibus* usus,
Quanta tuum fratrem *Doctor acerbe* doces!
Multa quidem *didicit* frater te Paule *Magistro*,
Declinare tamen *Verbera* non *didicit*.

4. Ad Eundem.

Virtutem didicit frater te Paule Magistro;
Ergò, quod *nescis*, Paule stupende, *doces*.
Ergò qui cecinit quondam; nunc *Naso* recantet:
Quódq; parùm novit, nemo docere potest. Ovid.

5. Ad Eundem.

Virtutem Fratris toties cùm Paule probâris;
Virtutum Cos es? Lydius ánne lapis?

6. Ad Eundem Fratri omnino dissimilem.

Mundus amor *Pauli*; *Pauli* spes unica *Mundus*;
Summa *Stanislao* nausea *Mundus* erat.
Cùm sit tanta tibi morum discordia *Paule*,
Esne *Stanislai* frater, an antitheton?
Cùm sit tanta tibi morum discordia *Paule*?
Verè *frater* eras illius; *alter* eras.
NB. Frater enim quasi ferè alter. Calepinus.

ICONISMUS 12.

Exhibet Stanislaum vigilantissimum sensuum suorum custodem : Epigraphe :
ILLE SEMPER INSIDIAS SVSPICATVR. *Iobi 15, 21.*

Epigram. ad Stanislaum.

Tutor Virginei, *custósque Modestia* floris,
Semper *K*ostka tuas excubat ante fores.
Nil oculis fœdum, fœdum nil auribus hauris,
Ne tepeat minimâ mens violata face.
Et valvas oculis, & valvas auribus obdis,
Indè *audis meliùs,castius* indè *vides.*
Rectè oculis valvas, valvas rectè auribus obdis,
Namque venena solent, aure,oculóque bibi,

2. Parergon morale.

Tu quoq; cura tui, quem tangit honesta Pudoris,
Aures,atque oculos, obstrue; castus eris.
Jure *oculos*, *animi* quis dixerit esse *fenestras*,
Jure *aures*, *animi* dixerit esse *fores.*
Turpia ne *cernas spectacula*, *claude fenestras.*
Ne *verba auscultes turpia*,*claude fores.*

3. Parergon morale.

Fronte tibi mediâ, vigilisq; satellitis instar,
Virgineus castas stet pudor ante genas.
Si *vigil* hic *primo* semper stet *limine custos*,
Non erit,*internas* qui *populetur opes*,

4. Stanislaus mortificat guſtum.

Sæpius impaſtas mandat transcurrere noctes :
Sæpius impaſtos mandat abire dies ;
Non miror *Terra* miſſus, & fercula ſperni :
Eſurit Ambroſiam Koſtka,*guloſus homo eſt*.

5. Ad Eundem optimum odoratûs cuſtodem.

Paſtillos Rufinus olet ; *Gorgonius hircum* :
Qui quid ſemper olet, non bene ſemper olet.
Paſtillos nec lautus oles , nec fœtidus hircum ;
Tu nil ſemqer oles, hinc bene ſemper oles.

6 Mortificat tactum ciliciis.

Flos eſt *Koſtkiades* ; ebori qui concolor albet,
Quique præit veſtras, lilia pura, nives.
Munit in acceſſos *veprium* cuſtodia flores:
Circumfert *hirtam* pro *vepre* Koſtka *togam*.

7. Parergon morale.

Quid puer hirſutis corpus calcaribus urges,
Semper ô in pœnas ingenioſe tuas!
Conveniunt nobis magìs hæc *calcaria*; prompto
Quos pigra *ſegnities* non ſinit ire gradu.
Si nos *Koſtka* tuum crebro ſtimularet *acumen* ;
Virtutis citiùs conficeretur *iter*.

8. Tactui inſultat flagellis (diſciplinam vocant.)

Quæ nova *ſcribendi* ratio ? jam *verbere* tergum
Scribitur;en *calami* ſunt *flagra*! *charta cutis*!

Eſt *atramentum*, qui ſtillat tergore, *ſanguis*!
Vah *atramentum*, quàm mihi tale *rubet*!

9. Ad Eundem.

Perge cruentatis in te ſævire flagellis,
Tergáq; ſanguineis ſcribere, perge, notis.
Fama *roſas* retulit *Veneris* de *ſanguine* natas;
Lilia naſcentur *ſanguine* Koſtka *tuo*.

ICONISMUS 13.

Proponit Stanislaum hominis noviſſima meditantem:

Epigraphe mortem reſpiciens: sIGNA VIDET VICTRICIA FERRE PER ORBEM. *Silius Italicus, lib. 1. de bello punico.*

Epigraphe ſupra Extremum Iudicium: QVIs POTERIT STARE IN CONSPECTV DOMINI. *l. 1. Reg. 6. 20.*

Epigraphe ſupra Infernum: DVRA SEMPER LEGE PATENS, POPVLOS, REGESQVE RECEPTAT. *Valerius Flacc. l. 1. Argon.*

Epigraphe ſupra viam ad Cœlum: VARIIs FLORET VIA DIsCoLoR ARMIs. *Valer. Flaccus l. 5. Argon.*

Epigram. Stanislaus mortem meditans.

Fixum cûiq; *mori*; *Mors* nulli parcit honori:
Omnia *Mors* æquat, maxima cœpta ſecat.

Ad

Ad manes imus: ſub terram terra redimus;
Ultimus eſt finis, metáq; noſtra, cinis.
Et ſequar hæc Voto, quæ mox rapit invida *Clotho*?
Terrea quid ſpero? poſt breve, *pulvis* ero.

2.

Sæpe vigil perago ſomni ſine munere noctes
(Longa ſatìs, ſomno tempora, fata dabunt,)
Dúmq; inter *tacitas* nemo venit arbiter *umbras*,
In tenebris *Koſtkam mortua turba* docet.
Quid tamen à *mutis* inſomnis Koſtka *Magiſtris*
Addiſcit? *diſco vivere, diſco mori.*
Ut mihi mors felix contingat; vivere diſco:
Ut felix poſſim vivere; diſco mori.

3. De Stanislao extremum judicium meditante:

Dum ſubit illius feralis imago diei,
Ultima quæ mundi meta ruentis erit;
Oſſa pavore tremis: recti ſtant vertice crines;
Ex Koſtâ, nimio Koſta timore fugit.
Quàm bene *formidas! timor hic tibi proderit olim;*
Non tunc judicium, qui timuere, timent.

4. De eodem meditante Cœlum:

Dum rutilum ſpectas oculis *rorantibus* axem
Koſtka, tibi *rident* Sidera, *ſordet* humus.
Non miror, ſi *ſordet* humus *ridentibus aſtris*;
Terra lutum, lachrymis fit madefacta, tuis.

5. De eodem meditante Inferos.

Cur oculis objecta tuis, *Acherontis* imago,
Ex oculis *pluvias* jugiter haurit *aquas?*
Parce metu *lacrymose puer*: tibi *Tartara* parcent:
Non *uno coeunt ignis, & unda loco.*
Parce metu, quid enim metuas *incendia? fida*,
Cûi sunt in promptu, tam prope semper, *aqua.*

ICONISMUS 14.

Stanislaus mentem suam de ineunda Societate Iesu, quā aliquamdiu præposterâ verecundiâ præpeditus, celaverat; Confessario suo aperit, liquidissimis subinde gaudiis Cœlitus perfusus. Epigraphe: NVDAT CVRARVM SECRETA. ***Claudianus l. 1. de raptu Proserp.***

Epigram.

Non miror *curis* Kostkam *mordacibus ustum*;
Conceptum clauso dum tenet *ore Deum.*
Non miror magnis Kostkā plausisse triumphis;
Dum, quod mente diu *parturit, ore parit.*
Femina sic varios patitur, dum *parturit*, æstus;
Sed *dolor* in *plausus*, dum *parit* illa; *perit.*

ICONISMUS 15.

Stanislaus emissô de intrandâ Societate

Jesu

Jesu Voto, *Carni*, *Mundo*, *Dæmoni* procul stantibus, tergum obvertit, cũ dicto: nesCIo Vos VnDe sItIs, DIsCeDIte. *Lucæ 13. 27.*

Epigram. *Stanislaus loquitur*:

Ite malæ *pestes*; Vitiorum semina: tanti
Non mihi sunt *pestes*, *æger* ut esse velim.
Inficit *immundus Mundus*, *Plutonia Plutus*
Regna aperit; præbet *vera venena Venus*.
Non bonus est *latero* Mundus; sed *latro* malign⁹;
Dum *lactat*, *mactat*; dum *favet*, ille *furit*.
Sunt *oculi* Veneris, *scopuli*; sunt *munera* verè
Funera: cûi *Cypris* non *sapit*; ille *sapit*.
Pungit, non *ungit* Plutus; quod buccinat aurũ,
Hoc *ornare* minùs; plùs *onerare* solet.

2.

De Kostka perpetuam virginitatem Reginæ Virginum offerente.

Virginibus Mos est, flores adamare, puellis,
Quos facili tellus parturit alma sinu.
Tu quoque Virgineæ Regina *Maria* catervæ,
Crederis oblati floris honore capi.
At reliquos inter tamen, ô pulcherrima! flores,
Virginei *florem*, Virgo, *pudoris* amas.
Hunc tibi perpetuo donavit munere Kostka;
Floridiorq; *dato*, postea, *flore* fuit.

3. De

3. De Stanislao in nullis temporalibus conquieſcente.

Koſtkao juveni totus non ſufficit Orbis :
Koſtkaus juvenis, dic quid ? avarus homo eſt.
Si dederit cunctos *Regina Pecunia* nummos,
Plus ultrà, juvenis dicet : avarus homo.
Liquida ſi toto circumfluat amne *Voluptas*,
Plus ultrà juvenis dicet : avarus homo eſt.
Prodiga, quotquot habet, ſi donet *Gloria* faſces ;
Plus ultrà juvenis dicet : avarus homo eſt.
Plus ultrà ſemper dicet, fac quidquid adeſſe,
Et ſolum cunctis numen abeſſe bonis :
Quippe ſuo tantùm *ſaturatur* Numine Koſtka :
Quanta mentis homo, noſter *avarus homo eſt* !

ICONISMUS 16.

Pedibus Patris Magii Provincialis Auſtriaci affuſus, admiſſionem petit, intento in ſacrum Ieſu nomen digito Epigraphe : HOC NOMEN, QVOD VOCABVNT. *Jeremiæ 33. 16.*

Epigram. *Stanislaus ſui admiſſionem urget :*

Quærimus (ut dicunt) dum vivimus, eſſe *beati* :
Me Jeſu Sociis, ô *pater* ! adde ; beas.
Obligor ex *Voto*, *Sociis* me jungere Jeſu :
Voti damnetur Koſtka ; *beatus* erit.

ICONISMUS 17.

Poſt acceptam à Patribus *ob graviſſimas cauſas repulſam, varia pietatis exercitia obit*, VT ConVertat CorDa patrVM. *Lucæ 1, 17.*

Epigramma : *Stanislaus loquitur.*

Cerea ſunt aliis; uni mihi *Saxea Patrum*
Corda; ſed hem! *precibꝰ Saxa* movebo meis.
Et *Montes* precibus motos audivimus: an non
Et precibus *Mentes Koſtka* movere queat?

ICONISMUS 18.

Viennæ graviter ægrotat. Epigraphe: VIres et CopIa fanDI nVLLa MIhI. *Statius l. 5. Sylv. in epicedio filii.*

Epigramma :

Koſtkæo fractæ dum languent *corpore* vires,
Stat major menti, quàm ſtetit antè, vigor.
Scilicet eſt *ſano mens corpore* ſæpius *ægra* :
Sæpius *à morbo corporis* illa *valet.*
Nullæ ſint vires; nec fandi copia Koſtkæ;
Dæmoni vincendo ſufficit, *hoc ſatis eſt.*

ICONISMUS 19.

Diabolus ægrotum ſub ſpecie canis præfocare ad-

adnisus, fluente è faucibus hac minarum plenâ Epigraphe : VENIT TEMPVS: PROPÈ EST DIES OCCISIONIS. *Baruch 7. 7.* *Contra quem è lecto Stanislaus obtendit signum* crucis, *hoc inscriptum hemistichio*: AVDACEM FVGAT HOC, TERRETQVE. *Horatius l. 2. Epistolarum ad Augustum.* *Totam imaginem ambit illud Isaiæ* : NON INTERFICIET VSQVE AD INTERNECIONEM. *Isaiæ 51 14.*

Epigram. in Dæmonem.

Quid furis incassũ ? quid frustra *Cerbere* latras ?
An quia, qui metuit, fortiùs ille latrat ?
Cerbere quid latras! *vana sine viribus ira* ;
Cerne *Crucem* : vires contudit illa tuas.
Cerbere quid latras? vinceris ab *Hercule Kostka*:
In *Kostka Alcides* : in *cruce clava* latet.

2. Ad eundem.

Quid Kostkam fallace Canis sub imagine tentas?
Crede mihi, *larvas* non *timet* ille *puer*.

3. De Stanislao Dæmonem fugante.

Ægrotum horribili tentat sub schemate Kostkã,
Cerbereus patulâ fauce vorare *canis* :

Quid

Quid fit? salvifico jussus discedere signo,
Dum Kostkam tentat *ludere*; *lusus* abit.

3.

Dum puer *Orcinum* debellat *K*ostka *Draconem*;
Exsuperat veterum fortia facta ducum.
Herculea sileant Prisci miracula *clava*;
Prævalet *Herculeis viribus illa manus.*
Cerberus Alcidæ cessit: *Dis* ipse *puello*, (*canem.*
Plus *dominum* est; *Domini*, quàm domuisse

4.

Dæmona quis *metuat*? quis *fortẽ Dæmona* dicat?
Infirmum puerum vincere non potuit.

5.

* *Major* in *infirmo Virtus* est: credite *K*ostkæ,
Infirmus, Satanam cum superaret, erat.
* *NB. Virtus in infirmitate perficitur. 2. Cor. 12.9.*

6.

Quare Kostka *Crucem* promit? *Canis* irruit *Orci*;
Scilicet *hoc ligno*, pellitur iste *Canis*.
Cur *K*ostkæ *fauces* Dæmon *elidere pugnat*?
Ne se *victorem dicere K*ostka queat.
Cur *ægrum* aggreditur? desperat vincere *sanum*;
A *sano* toties quippe *fugatus* erat.
Perdere vult *stratum*: *lecto* vult jungere *lethum*
Pluto; sed in *lecto* Kostka trophæa *legit*.

Luci-

7.

Luciferægrotum tentabat perdere *K*oftkam,
Mox refugit vifæ figna tremenda *Crucis*.
Sicq; *bonam* fugit ille *Crucem*; remeare fub Orcũ
Ocyus, inq; *malam* malit ut ire *Crucem*.

8.

Opponit *K*oftkæa *Crucis* dum dextra *trophaum*,
Territat *Orcinum* dextra, fugátq; *Canem*.
Terrificæ nemo mihi *Palladis Ægida* jactet:
Armifonæ nemo bellica facta Deæ.
Clarior *hoc* pofthac *Pallas* mihi nulla *puello*:
Ulla nec hoc *Clypeo* fortior *Ægis erit*.

9. Ad Stanislaum.

Quâ tibi non *laurus*, juvenis, fuccrefcat *arenâ*?
Crefcit & in *lecto laurea* quando tuo?
Quid *fanus* facies? *ager Cacodamona* vincis:
Vincere nec *fanum Tartara tota* queant.

ICONISMUS 20.

Ægrotum Stanislaum vifibili fpecie invifit S. Barbara; & gemini Angeli facram ei hoftiam porrigunt. Epigraphe fupra hoftiam: VENIT IESVS, & PANEM ACCIPIT & DAT EIS. *Ioan. 21. 13.*

Epigramma.

Te

Te Deus in *lecto*, juvenis *lectissime*, visit:
   Quid mirum? *lectus floridus* ille fuit.
Lilia nunc pascit, qui *lilia pascitur inter*;
   Lilia sunt lecto, Kostka, reperta tuo.
Flos in flore fuit; te Christus quando subivit,
   Eucharicus flores quàm bene jungit amor!
Austria jam *initium*: *Florentia* facta; *Vienna* est,
   Hi quando *flores*, *hoc coiere modo.*

2.

Quas negat infirmo prædurus frater, & hospes,
   Prompta recusatas providet æthra dapes.
Sæpe *juvando* nocet Tellus, *prodestq*; *nocendo*:
   Plus modò quàm placitum, si daret, illa dedit.
Ergò, ne noceas, *Cœlestia fercula* Kostkæ
   Sæpe nega *Tellus*: sæpius *astra* dabunt.

3.

Angelicæ visunt *Kostkam*, cum *Virgine*, *mentes*:
   An *similis simili* gestit adesse suo?
Cur non à Superis hoc tempore sæpe *juventus*
   Visitur? heu! *Kostkas* perdidit illa *suos*.

4.

Sandapilam jam *Kostka* tibi Vespillo parabat;
   Et struit extremum jam Libitina rogum;
Quando cum Geniis, non *barbara Barbara*, binis,
   Cùmque venit *partu Virgine, Virgo parens.*
Ut veniunt, toto discedit corpore morbus,
   Et Vigor in corpus, qui fuit antè, redit.

(credo,
Quis tibi tunc animus? quæ vox? quæ gaudia?
Aut hos, aut similes, ora dedisse sonos:
Morbe redi; nostrósque frequens grassare per artus,
Si velit hic medicus semper adesse chorus.

Parergon morale.

Divinæ quicunque cupis Sacra fercula Mensæ,
Finiat antè tuos, quàm Libitina dies;
Supplicibus Virgo poscenda est Barbara votis:
Non erit hæc votis *barbara* Virgo tuis.

ICONISMUS 21.

Stanislaus visitatur à Beata Virgine, à qua ad Societatem JESU *vocatur*: colludit *in lecto cum* puerulo Jesu, *ex cujus ore solaris instar radii profluunt verba illa ex Zacharia*: ECCE EGO VENIO, ET HABITABO IN MEDIO TVI. *Zachar. 2. 10. Ex ore Stanislai prorumpit illa admirationis plena exclamatio*: DEVS COELI FORTIS! MAGNE! ATQVE TERRIBILIS! *Zacharia 2. 10.* NON EST SIMILIS TVI DEVS IN COELO! *l. 3. Reg. 8. 23. Ex ore Beatissimæ Virginis, manum in aliquod Societatis Collegium intendentis*, *promicant illa verba*: HVC NOSTRVM DECVS. *Sil. Ital. l. 15.*

Epi-

Epigramma:

Dum puer in lecto Kostkæ *colludit Jesus*;
Instar huic puero *Kostka, Ioannis* * erat.
Sed quid tu geminos credis lusisse puellos?
Quem ludunt, casti lusus *amoris* erat. (*mati*:
Quisquis *amat* quæcunque potest, mala pellit *a-*
A Kostka *morbum dispulit* ille *puer*.
Quid non iste *puer* possit, si seria tractet!
Ludendo, morbum *dispulit*, iste puer.

* *Ioannis primâ correptâ per licentiam Græcorum, qui vocales naturâ longas ante vocalem, non rarò corripiunt.*

3. Ad Stanislaum ab Angelo *Eucharistiam*, ab diva Virgine *puerulum Iesum* accipientem.

Numen edule tibi, Superis dat *Ephebus* ab astris:
Stringendum manibus dat tibi *Virgo* tuis.
Tradere nil *Genitrix* majus, nil possit *Ephebus*;
Nam *genitrix natum* tradit, *Ephebus herum*.

ICONISMUS 22.

Stanislaus iteratò à Patre Magio rejectus, de repulsa sic ingemiscit: NIL ADEO FORTVNA GRAVIS MISERABILE FECIT! *Ovid. l. 4. de Pont. E. 4.*

Epigram. Stanislaus ad Societatem Jesu.

Ergóne, quæ toties aliis se spontè recludunt,
Usquè mihi clausæ, stántq;, manéntq;, fores?
Cur tam sæpe *prıco turpem* das *sponsa repulsam*?
Unica tu votis *sponsa* petita meis.
Quæ tam sæpe *proco turpem* das *Sponsa repulsam*,
Non *adamantis* habes cor; *Adamantis* habes.

ICONISMUS 23.

Parens Stanislai literas Viennam scribit, quibus utrumque filium domum revocat: *Epigraphe supra Epistolam*: VIDEANT OCVLI MEI FILIOS. *Tobiæ 10. 11.*

Epigram. *in persona Parentis se ipsum alloquentis.*

Ecquid in Austriacis geminos, tua gaudia, natos,
Ecquid in externis fers procul esse plagis?
Sol Stanislaus tuus est; tua *Cynthia Paulus*:
Cur absunt *patrio Cynthia, solq; polo*?
Ut videant *Solem*, videant mea lumina *Lunam*;
Cum *Stanislao* (nec mora) *Paule* redi.
Paule redi: cum fratre redi; pariterq; redibunt,
Vobiscum, nostræ, *spésq; salúsq;*, domûs.
Paule redi: cum fratre redi; si bina reditis
Sidera; jam *cœlum* sit mihi nostra *domus*.

ICO-

ICONISMUS 24.

Pater Franciſcus Antonius, *Magni nominis Concionator, meditatam Stanislai fugam approbat, eiq; vocationis gratiâ fugituro, commendatitias extradit ad Petrum Caniſium, & Franciſcum Borgiam cum dicto:* VADE & SICVT CREDIDISTI FIAT. *Matthæi 8. 12.*

Epigramma propempticon.

Vade peregrinas *Iacobe ſecunde* per oras:
Pulchra *Rachel* peregrè, quæ tibi nubat, erit.
Vade Polonorum de climate miſſe *Tobia*:
Quod facies, *Raphael*, diriget alter, iter.
Vade, triumphali concuica poplite mundũ; (mat.
Quidquid habet tellus, ſub pede, *K*oſtka pre-
Vade moleſtarum per ſcabra, per uda viarum:
Invia virtuti, ſit *via* nulla, tuæ.
Vade; Procelloſus nec te remoretur *Olympus*;
Nec retrahat calidis *Phœbus* anhelus equis.
Vade; *juventuti* præſtans exemplar, eundo
(*Dum ſequeris Chriſtum*) ductilitatis eris.
Vade; trahes poſt te, tua per veſtigia, plures:
Gloria, quæ præeat, quæq; ſequatur, erit.
Vade; nec oſtenſo, te molliat ubere, *mater*;
Illa licèt paſſis, obviet uda, comis.

Vade; neç objecto *genitor* te corpore tardet;
Objaceat mediâ quamlibet ille viâ.
Vade celer, quò *signa* vocant, quò *classica Christi*,
Quò per *Calcatum*, te decet ire, *Patrem*.
Vade igitur; sanctámq; subi feliciter urbem;
Optatúsque, *via* terminus, esto *status*.

ICONISMUS 25.

Vienna, *fugientem Stanislaum respicit*, *cum hoc suspirio*: AVFERETVR DE CONSPECTV MEO! *Ieremiæ 32. 31.*

Epigram. in persona Viennæ.

Cur *Plato* spectari *Virtutem* posse negavit?
Spectata est oculis sæpius illa meis.
Spectata est toties, quoties te, *Kostka*, videbam:
Dum fugis; heu! oculos effugit illa meos!

2. Eadem ad Stanislaum fugientem.

Siste fugam juvenis! per ego te sydera, pérq;
Chari quidquid habes, obsecro, siste fugam!
Austriacis Præclara *scholis* exempla dedisti
Hactenus: *exemplis* perge *docere* tuis.
Siste fugam! flammata tuæ ne vota *Viennæ*
Despice: neu *surdâ* sperne tot aure preces,
Sic semper faciles sint in tua commoda Divi,
Sic semper votis annuat æthra tuis.
Sed quid ago? rapidis nil proficientia mando
Verba Notis; ut *vox*, sic quoque Kostka, *fugit*.

ICONISMUS 26.

Stanislaus in limine via Romana cum Angelo Custode. Epigraphe: IPSE PRÆCEDET ANTE ILLVM IN SPIRITV. *Lucæ 1.17.*

Epigram. Viennæ ad Angelum, Stanislai custodem.

Angele, cui Kostkæ custodia credita, serva
 Depositúmq; tuum, deliciúmq; meum.
Si *mihi* non illum liceat *retinere*; *sorori*
 Detur: si nescis, est mea, *Roma*, soror.
Solus, ut hac, optem, felicem sorte *sororem*,
 Suasit (*versa soror* quem tibi monstrat) *Amor*.
NB. Roma ordine retrogrado lecta, Amor est.

2. Ad Divinum Amorem.

Huc ades æthereo de climate cœtus Amorum!
 Ingreditur *latium* Kostka *Polonus* iter.
Huc ades, & dignos in iter *fac* adesse Ministros;
 Cum neget officium *rustica* Terra suum.
Fallor? adest Supero de climate cœtus Amorũ;
 Quisque suam *juveni* ferre laborat opem.
Pars durum præmollit iter; pars fercula condit:
 Mitigat hic ventos, continet ille nives.
Alter siccat aquas: docet alter, quò sit eundum;
 Et longæ tollit tædia quisque viæ.
I nunc *Terra*, tuos & perge negare Ministros;
 Profuit officiis, Terra, carere tuis.

ICONISMUS 27.

Paulus frater cum hospite suo Veneficam *de Stanislai fuga consulens, correptoriam meritus epigraphen hanc:* QVARE SEDVCERIS FILI MI, AB ALIENA? *Prov. 5. 20.* QVI MINORATVR CORDE, COGITAT INANIA *Ecclesiastici 16. 23.*

Epigram. in Paulum.

Orco confisus, fratrem quid, *stulte*, requiris?
Qui *tegitur Cœlo*, dum *patet* ille, *latet*.
Sat *Cœlum celat*: quæ Sidera cuncta *revelant*;
(si jubeant Superi) *tegminis* instar erant.
Si jubeantur, habent famulantia sidera *lucem*,
Et *tenebras* eadem, si jubeantur, habent.

ICONISMUS 28.

Stanislaus insequentem hospitem tempori conspicatus, tantisper de via declinat, sibi occinens: RECEDE PAVLVLVM, *Jobi 14. 6.* NE FORTE INCIDAS IN MANVS ILLIVS. *Eccl. 8. 1.*

Epigram.

Prendere qui *Profugum* voluit, qui rumpere cœpta,
Hospes Kostka tuus non erat? *hostis* erat.

2.

Cernere præsentem nequiit cur *hospes alumnũ*?
Cernere quod *solem noctua* nulla queat.

ICO-

ICONISMUS 29.

Stanislaus ab omnibus terrenis nudus, ab nemine hominum comitatus, in tenerrima corpusculi constitutione, in flore juventutis, tantis terrarum spatiis per Germaniam, Viennâ Romam, amore Religiosæ vocationis, peregrinans. Epigraphe MAIóRQVE pIIs AVDACIA CœptIs. *Valerius Flaccus l. 2. Argonaut.*

Epigram.

Ingenti Romam *comitatu* Koſtka tetendit:
Ille tamen *ſolus, pauper* & ille fuit.
At quis *Solius comitatus? pauperis* & quis?
Audi: *Virtutum* tota *Caterva* fuit.

2. De Stanislao.

Romipetæ nemo ſat dignus; nemo ſat aptus,
Aut *ducis*, aut *comitis* munere, viſus *homo* eſt.
Angelus ire *comes*; *Ductor Deus* eſſe jubetur.
Cûi vilent *homines*, nónne *ſuperbus homo?*
Koſtka *ſuperbus homo eſt*: *homines ſuper* ille *ſuperbit.*
Et ferme *Superos it ſuper* ille *choros.*

Superbire idem, quod ſuper-ire interjectâ lit. B. euphoniæ causâ. Calepinus in voce ſuperbio. Sumitur autem hîc æquivocè.

3.

Auſtriacis Romam dum Koſtka moveret ab *oris*,
Pauperiem naſtus dicitur eſſe *coquam*:

Et *coqua*, non melior poterat contingere Kostkæ:
Quæris cur? solâ *pascitur* ille *fame.*

4.

Cantabit vacuus coram Latrone viator: *
Mulserit hinc *cantu* Kostka frequenter iter.

* *Carmen hoc habet Iuvenalis.*

5.

Suaviter hic *equitat*, cœli quem *Gratia portat.* *
Romam tendit, *eques* Kostkius, ánne *pedes?*
Ales eò tendit : *volucres* Amor addidit *alas*:
Hinc non *ivit* iter Kostka; *volavit* iter.

* *Suaviter equitat, quem Gratia Dei portat. Thomas Camp.*

ICONISMUS 30.

Angelus peregrinanti Stanislao Sacram iterum Hostiam porrigens. Epigraphe : REVERTAR AD TE PORTANS SACRIFICIVM, & OFFERENS TIBI. *Iudicum 6. vers. 18.*

Epigramma :

Non vice jam primâ Christum; vice porto secundâ:
Imò vices inter, prima, *secunda* fuit. *

* *Secunda fuit; quia felix.*

2.

Eucharin Angelico capis *Angele* Kostka *ministro*:
Angelicus verè tum fuit illa *cibus.*

3. An-

3.

Angelicus cum ſit *cibus hoſtia*, Koſtka *cibandus*
Hac erat; à cunis *Angelus* ille fuit.
Eſtq; *viatorum cibus hoſtia*; nónne cibari
Hac decuit Koſtkam? Koſtka *Viator* erat.
Occinat hîc notos cantrix Eccleſia Rythmos:
Ecce panis Angelorum,
Factus cibus viatorum -
Hos nunquam, quàm nunc, aptiùs illa canet.

ICONISMUS 31.

Stanislaus Dilingæ aliquamdiu apud Petrum Caniſium *commorans, eximia dat virtutis ſpecimina. Epigraphe*: ÆDIFICAVIT CIVITATEM. *Geneſis 4. 17.*

Epigramma:

Koſtka *faber* non ſis; urbem tamen *ædificaſti*:
Dilinga exemplo eſt *ædificata tuo.*

NB. Ita demum ſe geſſit, ut brevì omnium in ſe converteret oculos. Sacch. in vita p. 1. c. 8 de Dilingana commoratione.

ICONISMUS 32.

Stanislaus Romam adpulſus, Generali S. J. Franciſco Borgiæ, *literas à P.* Franc. Antonio *Viennæ*, *&* *à* Petro Caniſio

Dilingæ

Dilingæ acceptas; *séq*; *cum literis tradit*, *dicens* : QVONIAM PIA CAVSA CÖEGIT, DO TIBI. *Ovidius lib. 6. Metamorph.*

Epigram.

Æſchinis inſtar ero; memet tibi dono *regendũ* :
Rectum redde mihi; *Socratis* inſtar eris.

ICONISMUS 33.

Stanislaus in tyrocinio ſubſidiariam coquo operam promptiſſimè navat. Epigraphe : LABORES TVOS COMEDAT POPVLVS. *Deuteron. 28. 33.* Epigram.

Dum *coquis*, & viles exerces, *K*oſtka, labores;
Decoctor Vani pulcher *Honoris* eras.
Dum *coquis*; in tenues ventoſa *ſuperbia* fumos,
Et *Tumor* in *cineres* ambitioſus abit.
Dum *coquis*; in *medias* gentilia ſtemata *flammas*
Abjicis : *illuſtres* devorat ignis *aves*.
O *Mediaſtinum* Cœlóq;, ſolóq; ſtupendum!
Quàm *clarat* laudes *furva culina* tuas!

ICONISMUS 34.

Stanislaus piis jugiter lachrymis in tyrocinio colliqueſcens. Epigraphe : RESISTIT VNDIS, & LACESSENTES AQVAS LONGÈ REMITTIT. *Seneca in Hippolyto.*

Epigram. (quescit:

Dum *lachrymis* obstat, *lacrymis* plùs *Kostka* li-
Sic *clausas* ruptus duplicat agger *aquas*.

2.

Infundit *Deitas* se sæpiùs *integra* Kostkæ:
Quid mirum? à *tanto perfluit* illè *mari*.

3.

Deditus est *lacrymis*, nostri *Narcissulus* ævi:
In *riguas* ibit forsan, ut *alter*, *aquas*.

4.

*Dedit*9 est lachrymis: *est quadam flere Voluptas*.*
Kostka *Voluptati deditus* ánne fuit ?

* *Ovidius.*

5.

Plorat non *orat*: lacrymas pro voce profundit
Kostka; *sapit*: *lacrymæ pondera vocis habent*.*

* *Ovidius.*

6.

Kostkiades *lacrymis* passim sua *perpluit acta*:
Quàm *Segetem, pluviis* irrigat ille *bonis!*

7.

Quare Kostka rigat *Carnē?* cùm sit *caro fœnum*,*
Castiùs ut fœnum *floreat*; ille rigat.

* *Omnis caro fœnum. Isaia 40. 6.*

8.

Kostka diu servare solet *jejunia*: quidni?
Cum *David*, *lacrymis pascitur* ille suis.

Fuerunt mihi lacrymæ panes die, ac nocte. Psalm. 44.

Quot

9. (dit:

Quot *lachrymis* fluxit, tot *gemmas* Koſtka profu-
Tot *gemmis* poterat, totus *Olympus emi*.

10.

De *cœlo* quoties Koſtkæ fit mentio, plorat:
Scis cur? ſe *Patriâ* plorat abeſſe ſuâ.

11.

Se meminit triſti *lachrymarum valle* repoſtum:
An non conveniens fletibus ille locus?

12. Author excuſat illam Epigrammatum multitudinem, quam in Stanislai lacrymas affert.

Cur *ſalſas* Koſtkæ *lacrymas* tam ſæpe reguſto?
Salſa movere ſitim; non *ſatiare*, ſolent.

13. De eadem materia ad Lectores.

Garrula Muſa modum, ſi tranſit, parcite: Mu-
Ebria: de *lachrymis largiùs* illa *bibit*. (ſa eſt
Largiùs illa bibit: lachrymæ *ſapuere bibaci*:
Nunquam *Caſtalia*, ſic *ſapuiſtis*, *aqua*.

14. De eadem.

Cur alibi *ſiccus*, plenis hîc *effluo* rivis?
Sola *fluit lachrymis*, quæ mihi *vena* fluit;
Quippe *bibi* ſolo *lachrymarum fonte* Poëta:
Hippocrena oculi ſunt mihi, Koſtka, *tui*.

15. Ad eundem.

Quàm bene *mandaſti lacrymans* tua *ſemina terræ*!
Lætitiæ meſſem jam ſuper *aſtra metis*.

Nunc Metamorphoses, si nolim, admittere
Heraclitus eras: es modo *Democrit'*. (cogor;
N.B. Heraclitus & Democritus duo Philosophi fuerunt, quorum hic semper risit, ille flevit.

16.

Saucia *Mosaica* repetito Verbere *Virga*,
Non potuit *lacrymas Petra* tenere suas.
An Kostkam feriit graviori verbere Christus?
Petra semel maduit; *jugiter ille* madet.

17. Pretiosæ Stanislai lachrymæ.

Non gemmæ pretio; gemmæ non cedit honore,
Gemmea Kostkæis, quæ fluit unda, genis.
Inter utramque tamen sunt hæc discrimina gem-
Hæc *semper manat*; dura sed, illa *manet*. (mam:

18.

Fortunatus ager! fortunatissima tellus!
Kostkiade, lacrymis quæ maduere tuis.
Guttula tam cari, si veneat, una liquoris,
Hanc toto Aonidum flumine, pluris emam.
Clamabóq;: tuos serves *Cleopatra* lapillos:
Hac modò sit gemmâ fas mihi posse frui.

19. Ad Najades Italiæ, ut pretiosas Stanislai lacrymas colligant.

Exere Virgineum, glaucis caput, exere Lymphis,
Siqua pudens *Tybris* gurgite *Nympha* lates.
In latii plorat dum *Sarmata* littore *Tybris*,
Aureus in liquidas diffluit *imber* aquas:

Pande *sinus*, pretiúmq; *fove* secura *Pudoris*:
  Nullus in *hoc* turpis *Jupiter imbre* latet. *

* *Alluditur ad fabulam de Jove & Danae.*

20. De lacrymis Stanislai, sua sensa pandit Italia.

Eridanus nostris (per me licet) exulet oris:
  Túq; meas, si vis, desere *Tybri* plagas.
Non ego, non vestro peto flumine porrò rigari:
  Est alius nostros, qui riget imber, agros.
E geminis dum Kostka tibi fluit amnis ocellis;
  Et *Padus* & *melior* tu mihi *Tybris* eris.

21. De fletu continuo Stanislai in Tyrocinio.

Tyroni Kostkæ est *Habacucius* additus. Ecquis?
  Claudius, ut perhibent, hic *Aquaviva* fuit.
Abfuit à Kostka nonnunquam *Claudius*: illi
  Ast præsens nunquam non, *aqua viva* fuit.

NB. Habacucius sive Habacuc in tyrocinio Societatis, is vocatur, qui ex adultioribus tyronibus, Novitio recens recepto, manuducendo adjungitur.

22. Ad Stanislaum in Monte Quirinali Novitium.

Consultò *celsi* scandis *juga*, Kostka, *Quirini*;
  In *plano* lacrymis ne *tumulere* tuis.

23. Ad Tyberim.

Siste fatigatas longis erroribus undas,
Siste; ferent parvæ commoda magna moræ;
Námq; tuis, pictæ recubans in margine ripæ
Sarmata, Gemmiferas fletibus addet aquas.
Excipe Kostkæo fluidas è lumine gemmas;
Augeri pluviâ nobiliore nequis.
Ast ubi permistis lacrymas exceperis undis,
Et factus prædâ divite major eris;
Lætus abi; spretísq; *Tagi* rutilantis arenis,
In mare collectas volve superbus aquas:
Dúmq; volubilium velox agis agmen aquarum,
Sic tua raucisono murmuret unda vado:
Quas vehimus gemas, *Tethys emat omnib⁹ undis**
Omnibus & gemis, has quoque, Tethys emat.

* *Virgilius Georgicorum l. 1.*

24. Stanislaus comparatur flori (quē *Coronā Imperialē* vocant) jugiter stillanti.

Et lachrymant flores; mihi credite; námq; *Corona*
Pro gemis lacrymas *Imperialis* habet.*
Effigies, Kostkæ, fit flebilis illa Corona;
Non gemmis, lacrymis dives & ille fuit.

* *De Corona Imperiali Francisc. Raulinus testatur quòd circa medullam nativis lachrymis sit coronata.*

25. De eadem materia.

Koſtka frequens lacrymas, lacrymáſq; *Corona*
Stillat rore ſuo *K*oſtka; Corona ſuo.
Eſt diverſa tamen ſtillandi cauſa duobus,
Crebráq; non uno lacryma fonte fluit.
Quòd necdum tollatur humo flet Koſtka; quòd illâ
Tam citò tollatur, flere Corona ſolet.
Cætera tam ſimiles; quare tam diſpare cauſâ
Flent flores? flos hic ætheris, illa ſoli eſt.

26. Author excuſat ſimplicitatem ſtyli ſui.

Simplicior nullos cur præfert Muſa *colores*?
Cur mea ſunt nullo Carmina tincta *ſale*?
In promptu cauſa eſt: cauſam ſi forte requiras;
Diluitur nimiâ flebile carmen *aquâ*.

27. Amor profanus in Stanislai lachrymis naufragus.

Hic jacet orbatæ proles infauſta Diones;
Quæ periit ſalſo naufraga facta mari.
O oculi! ſcopuli titulo meliore vocandi!
Naufragus in vobis dum ſepelitur Amor.
O oculi! loculi titulo meliore vocandi!
Naufragus in vobis dum ſepelitur Amor.
Aptè nactus Amor moriens hæc funera: *mergi*
Debuit in mediis, qui tot *aduſſit*, aquis.

29. Pa-

28. Parergon morale de Stanislai lacrymis ad Peccatores.

Exemplum melioris habes imitabile Vitæ,
Quem nota commissi criminis ulla tenet.
Aspice Kostkiaden, ut euntibus humidus undis,
Solicitâ maculas, queis caret, arte fuget.
Si veros, queis fortè scates, vis tergere nævos,
Merge tuas simili, merge liquore genas.
Ast ubi lustrali deleta recesserit imbres
Quæ macula est animo turpis inusta tuo,
Ne qua tuos labes velut antè coinquinet actus,
Sæpius *hoc speculum* consule; pulcher eris.

29. Parergon aliud.

Te lacrymas *Natura* docet, dum flere videtur,
Quiquid in immenso continet ampla sinu.
Flent *Phaetontiadum* rami, flet *Phyllidis* arbor.
Balsama, flent, cisso flet quoq; *Myrrha* libros.
Flent *rigua cantes*; plúvii flent *nubila cœli*;
Flet *Turtur*; querolis flet *Philomela* sonis,
Flet *Notus*, æthereo *Glacies* flet victa calore;
Et flet ab acclivis Nix resoluta jugis;
Flent mutilæ *Vites*, madido flet *Cynthia* cornu,
Fles *Narcisse* tuis, fles *Hyacinthe* notis,
Flet quoque roriferis *Aurora* invecta quadrigis,
Flet quoque deciduâ discolor *Iris* aquâ.
Omnia flent: si fortè, fleant cur *omnia?* quæras;
Duritiem credas omnia flere *tuam*.

Illa suis lugent aliena piacula guttis :
Propria tu lacrymis *crimina* merge tuis.
Indefleta tuæ maneant ne crimina vitæ ;
Disce, vel à duris illachrymare petris.
At si fors *tales* nolis audire *Magistros*;
Nobilior flendi, Kostka, *Magister* erit.
Ille flet; & gravibus non sordent pectora nævis;
Vel minimas lacrymis eluit ille notas :
Tu tot, & horrendis maculasti pectora probris :
Nulla tot, ex oculis, in probra, gutta cadat?
Lumina si parcant; non parcent *Tartara* probris:
Quos *aqua* non *lavit*, qui *lavet*, *ignis* erit.

30.

Navigat in lacrymis tanto cur tempore Musa?
Illa libens *salsis naviculatur aquis.* *

* *Naviculari est otiosè, & quasi ludendo navigare. Calepinus in voce naviculor.*

Piæ Stanislai lacrymæ cum ardentissimo Dei amore conjunctæ.

Certum est (ait Sacchinus in vita Stanislai) ipsum quoque ex animi redundantia, ita amoris Divini incendio incalescere, ita exæstuare solitum corpus; ut pectori, ad refrigerandum cor, imbutos frigidâ panniculos necesse esset apponere. Addit S. Franciscus Salesius: Stanislaum Puerum 14 annorum, præ nimiis divini amoris incendiis, animo jam linqui solitum. *de amore dei l. 6. c. 15.*

Epi-

Epigramma ad Stanislaum.

Miror quòd *riguum* non dissolvaris in *amnem*,
Dum semper *malas* cerno *madere* tuas.
Dum cerno tanto tibi *fervere* pectus *amore*,
Miror in *ardentem* non abiisse *rogum*.
Quid miror? durare potes: nam *temperat* aptè
Undis his, *æstus hos*, *lachrymosus Amor*.

2.

Unde Stanislai duo *flumina*, *Lumina* fiunt?
Fervidus apta sibi *balnea* fecit *Amor*.

3.

Si tibi *Cor* Kostkæ sit *distillaria fornax*;
Lumina, *stillantes*, dixeris esse, *tubos*.

4.

E viridi ligno protruditur humor ab igne:
Ex *Kostka*, lacrymas trudere suevit Amor.
Gignit *Amor lacrymas*, & *lacryma* gignit *Amorē*:
Ignis gignit *aquam*, gignitur *ignis a-quâ*.

5. Ad Stanislaum.

Incaleant quantis, juvenis, tibi viscera flammis,
Jugiter ex oculis, quæ cadit, unda docet.
Sic ubi jam fabro latuit Rosa condita plumbo,
Lacryma suppositis stillat odora rogis.
Uvidulis sed non semper, bene stillat ocellis,
Jam pæne in fletus colliquefactus Amor.

Uvidulis lacrymosus Amor nisi parcat ocellis,
Desinet esse brevì fabula, *cæcus Amor*. *
* *Quia verè cæcus fiet ob nimias lacrymas.*

7. Amor divinus in lachrymis Stanislai jucundè navigans.

Dius Amor magni nuper dum signa doloris,
Flumina *K*ostkæis vidit abire genis;
Hac-vexit me *penna*-tenus, jam *navibus* uti
Me decet, & liquidâ currere, dixit, aquâ,
Finierat, *Pharetrámq;* novos mox vertit in usus,
Inque novos usus *spicula* vertit *Amor*:
Expandit Zephyris geminas sua lintea *pennas*,
Et movet adductas remigis arte *manus*,
Sunt Zephyri *gemitus*, *lacryma* mare, *spicula* remi,
Vector Amor, *Penna* vela, *Pharetra* ratis.
Dúmq; flagellatas lacrymarum navigat undas,
Dicitur hæc mediâ concinuisse viâ:
Spumoso Venus Orta Mari, mare servet, in illis
Digna perire, quibus nata putatur, aquis,
Sunt meliora, meã capiant quæ flumina cymbam.
Suavius in lacrymis navigo, Kos*tka*, *tuis*.

8.

Compellasse *sacrum* sic Kostka refertur *Amorẽ*,
Dum videt hunc roseâ lampada ferre manu;
Extinctas si fortè velis *accendere flammas*;
Pectoribus veniat proxima tæda meis.

Accen-

Accensas si fortè velis *extinguere flammas*;
Luminibus veniat proxima tæda meis.
Utrumcunque voles, *flammas* & *flumen* habem'
Pectus enim *flammas*, *lumina flumen* habent.

9. Amor quare apud Stanislaum sit constans.

Accipe rem miram: volucer, solitúsq; vagari,
Kostkæo constans corde moratur Amor.
Ne mirere tamen; volucer, solitúsq; Vagari,
Quòd Kostkæ constans corde moretur Amor.
Kostkia dum quassis incendia promovet alis;
Alas ussit Amor nuper: abire nequit.

10. Stanislaus ob nimios Divini Amoris æstus aperto sinu suspirans, & refrigerationem postulans.

O Amor! ô nostras moderatiùs ure medullas!
O amor! ô animi blande tyranne mei!
Te licèt inclamem; nihilo me mitiùs uris:
Numquid es, ut cæcus, sic quoque surdus Amor?

11.

Quas patior flam̃as! *flammas* aut æthra *minores*,
Aut mihi *majores* æthra det esse *sinus*.

12.

Astra mihi flam̃as dederunt, dent astra liquores;
Ut veniant uno, plaga, salúsq; loco.

13.

O *Amor*! ô quantos, ô tortor amabilis æstus,
Infundis nostris ima per ossa fibris!
Pectoris *inconsumpte* mei *consumptor*, & *hospes*!
Ipse tuæ flammæ *fomes*! & ipse fames!
Dulcis amarities animi! *lachrymosa voluptas*!
Solicitudo placens! *irrequieta quies*!
O Amor! ô quantis torres mea viscera flammis!
Abde; vel, ut moriar protinus, adde, *faces*.

14.

Aura veni, cohibéq; meos afflatibus ignes,
Sæpius ingeminat Kostkius: aura venit.
Aura venit, circúmq; agiles dum comovet alas,
Attactis resilit, pæne cremata, rogis.
Sic pennas plerumque culex amburit, amatam
Dum propiore volans circuit orbe facem.
Ergò ubi frigidulæ suspiria comperit auræ,
Solamen flammis non dare posse suis,
Kostka flet; internos lachrymis ut tẽperet ignes;
Inter at hæc medios deficit unda rogos.
Sic modo mutatis nova per miracula rebus,
Aurámq; & fletas *K*ostkius ussit aquas.

15. Parergon morale de ignibus Stanislai.

Languebat; sed *K*ostka sacro languebat ab æstu:
Quæque ægrum tenuit, febris, amoris erat.
O mihi, si simili languescere detur ab æstu;
Non peterem medicam, vel moriturus, opẽ;

Sed

Sed peterem sacræ periturus fomite flammæ,
Pelleret ut morbum nulla medela meum.
O cuicunque sacer percussit corda Cupido!
Quisquis ô æthereo saucius igne cales!
Si sic ægrotas, nunquam curere, rogamus:
Sanus eris, si te, tam bona febris, habet.

16. Author finit materiam de lacrymis, & ignibus Stanislai.

Epigram. *de lachrymis solis.*

Claudite nunc pueri rivos: satis est lacrymarum,
Claudite, ne nimiis navifragemur aquis.

Aliud.

Vela diu in salsis lachrymarum fecimus undis:
Nunc mea, nunc aliâ naviget alnus aquâ.

Epigram. *de lacrymis & ignibus simul*

In Kostkæ lachrymis quantũ superavim⁹ æquor!
In Kostkæ, quantos vicimus, igne, rogos!
Hunc equidem tanto miror non æquore mersũ
Aut hunc in cineres non abiisse *librum*.

Aliud.

Qui toties flammas, toties liber occinit undas,
Quæ se fata manent, augur an ipse canit?

ICONISMUS 35.

Tyronum Præses minacissimas parentis literas Stanislao extradit, cum dicto: ADVERSVM TE BELLA CONSVRGENT. 2. *Paral.* 16. 9.

Epigram. ad Stanislaum.

Cur tibi, cur manicas tuus, & cur Vincla parabat
Kostka, *Pater*? dici si pater ille potest.
Non manus est manicis, non est pes compede dignus:
Digna suis *palmis*, sed tua palma fuit.
Imò tegi toto debebas corpore *palmis*,
Nimirum toto Corpore *Victor* eras.

ICONISMUS 36.

In tyrocinio affectibus suis perfectissimè imperans Stanislaus: pro Epigraphe meritus illud: NONDVM SVBEVNTE SENECTÂ RECTOR ERAS. *Silius Italicus l. 7. de bello Punico.*

Epigramma.

Tyro sis aliis: *Rector* mihi, Kostka, vocaris;
Qui te *rexisti tam bene*; *Rector* eras.

ICONISMUS 37.

Observantissimi Argi nil in vita & moribus Stanislai quod carperent, invenire potuerunt. Epigraphe: VNDE ACCVSARENT EVM? *Luca 6. 7.*

Epigramma:

It nullus sine nube dies; nec libera nævis
Cynthia; nec maculis Sol caret ipse suis.
In Kostka nullus maculas tamen invenit *Argus*:
Perfectæ speculum Relligionis erat.

Qui

Qui maculas cernit, ſpeculum dum conſulit; ille
Has ſibi, non ſpeculo dicat ineſſe ſuo.

ICONISMUS 38.

Repræſentat Stanislaum inter varia ſeveræ pœnitentiæ inſtrumenta, operáq;. *Epigraphe*: NEC MoDVs VLLVs ERAT. *Ovidius l. 6. faſtorum.* *NB. Adoleſcentul⁹ ejus Sanctitatis & innocentiæ nullum faciebat finem integerrima illa membra, & obſequentiſſimum animo corpuſculum affligendi. Sacch. in vita.*

Epigram. de Stanislao.

Cur carnem ſic odit? amat tot verbera quorſum?
Verus Amor nullum novit habere modum. *
Vindicibus corpus conſcindit Koſtka flagellis:
Quid mirum? Koſtkæ corpus, aſellus erat.
Caſtigat quod amat: ſanat per vulnera carnem:
Hunc ægrum (credas) hæc medicina juvat.

* *Propertius l. 2. el. 2.*

2. De eodem ſe flagellis piâ crudelitate acriter diverberante.

Sanguinis à Koſtka cur hæc fit miſſio? febrit.
Crede mihi, juvenem febris Amoris habet.

3.

Duris Koſtka flagris dum candida terga flagellat;
Quàm bene Virgineæ tum rubuere nives!

4.

Exarat

Exarat impreſſis tergum ſibi Sarmata ſulcis:
Mirus Arator hic eſt; mirus & hic ager eſt.
Non tamen hic ſterili deſudat arator in agro:
Æterna hinc plenâ *Gloria* meſſe venit.

5.

Qui ſibi non aliis bellum tam duriter infert,
Irrequietus homo eſt ille; quietus homo eſt.

Ad Stanislaum.

Siſte quid innocuos ſic tyro repercutis artus?
Sanguineo fruſtra rore madere cupis.
Floſcule formoſo Veris pubeſcis in ævo:
Non ſolet è laceris floribus ire cruor.
Qui liquor è rupto ſtillat tibi Puſio tergo;
Si cruor eſt, certè candicat ille cruor.
Quo roſa,quo Violæ,quo candida Lilia ſtillant,
Illo, non alio ſanguine, Koſtka, rubes.
Quæ ſugenda dabat nuper tibi lilia nutrix,
In liquidas necdum ſunt ea verſa roſas.
Dent alii roſeum pro Chriſto,Koſtka, cruorem,
Nil,niſi pro Chriſto,lac dare Koſtka poteſt.

Ad eundem.

Purior es (ſi lacte poteſt quid purius eſſe)
Purior es puro lactee lacte puer.
Et tamen incuſſis laniatus membra flagellis,
Immiti nimium te pietate necas?
His niſi ſuppliciis bone tyro peperceris ultro,
Non dabitur longos vita fruenda dies.

Si tibi ſint odio, quæ ſic corpuſcula, vexas;
Crebriùs ut ferias, mitiùs illa feri.

Parergon morale.

Quid tu ſævitiâ dulci? dulcedine ſævâ,
Dilanias duris mollia membra flagris?
Cede flagella illis, queis bullit pectore Cypris,
Illos elicito ſanguine flagra notent.
Hæc Venerem pigmenta decent: formoſior eſſet,
Si foret hoc minio ſæpius uſa Venus.

Parergon alterum.

Et reus eſt, & Amor puer eſt, & corpore nudus,
Verbera, quæ pateris, debuit ille pati;
Scilicet inſontem non hæc laniena puellum,
Hæc Veneris puerum ſed laniena decet.

CILICIUM STANISLAI.

Koſtkiades *hirto* ſtringit ſibi corpus *amictu*:
Hæc quoque *Mundanis catib⁹ arma* quadrant.
Virginitas ut tuta ſuo ſervetur ab hoſte,
Adſtringi *Zona nobiliore* nequit.

Parergon morale ad Juventutem.

Dum *defenſivo* ſtat contra Tartara *bello*
Koſtkius, hirſuto tegmine corpus obit.
Excipit invalidos, hoc tegmine, Koſtkius ictus:
Tutus & hoc ſcuto multa trophæa tulit. (ros;
Quiſquis es ô juvenis! ſimiles tibi ſpondeo lau-
Par *lorica* tuum; ſi modò, pectus obit.

Pa-

Parergon morale ad Virilem ætatem.

Præfert horrentem ſetis, velut hiſtrice, veſtem,
  Uncáq; cum tortis cingula *Koſtka* flagris:
His armis *Orcum* juvenis, *Cœlúmq;* ſubegit,
  Et *Lauros* multo victor ab hoſte tulit.
Hæc licèt arma ſciam *juvenilibus* apta *lacertis*;
  Sunt tamen & *magnis*, nec minùs apta, *viris*.
Ite *Viri*, & veſtros hæc arma decenter in uſus
  Vertite: quid pigras nectitis uſque moras?
Credideram *teneros* nimio plus eſſe *puellos*:
  Ingenium video *mollius* eſſe Viris.

ICONISMUS 39.

Stanislaus Menſe decimo tyrocinii in fatali lecto poſitus, mortémq; ardentiſſimè ſuſpirans. Epigraphe: OPTATA VENIAT, SICVT MERCENARII, DIES. *Jobi 14. 6.*

Stanislaus terrena nauſeans.

Ite procul vani bullata crepundia mundi,
  Quæ velut unda fluunt, quæ velut aura volant.
Ite procul vani bullata crepundia mundi:
  Non me *bulla* juvat; *Sidera bella* juvant.

2.

Ite caducarum ſimulacra fugacia rerum:
  In *Vitium præceps vita, ſolúmq; vale.*
Vincula Libertas, Conſtantia lapſus in orbe eſt;
  Perditur in *Vita Vita, Vigore Vigor.*

Libera

Libera Libertas, *Constantia* constat in astris,
Perditur & Mors in Morte, Dolore Dolor.
Ite caducarum simulacra fugacia rerum :
In Vitium Præceps Vita, *solúmq; vale*.
Lux generis *tenebrosa* tibi est, *subjecta Potestas*,
Infamis vitiis *Fama*, *inhonorus Honor*.
Spes exspes & *Opes inopes*, *Concordia discors*,
Ægra salus, *Methodus devia*, *fessa Quies*.
Dedecorísq; decor scopulus, *Veneri* apta *Venustas*,
Bellica Pax, *Risus tristis*, *amarus Amor*.
Quis mihi, quis volucres cupido nunc assuat alas
Ut ferar in Superæ templa beata domûs?
Hîc *decor est* fugisse *decus*, *despecta Venustas*,
Gratia : *tristitia* est *Plausus*, *Amaror Amor*.
Hic *obscura nitet Virtus*, *Demissio regnat*,
Et contemptus Honos, *spretáq; Fama* placet.
Spes nunquam *exspirat* ; dives *splendescit Egestas*,
Hic *æterna* manet *parta labore Quies*.
Ite caducarum simulacra fugacia rerum :
Ter Cœlum *salve*, Vita, solúmq; *vale*.

3.

Fine coronari dicuntur cuncta: *Coronam*
Hanc *solam vitæ* det Deus, opto, meæ.
Dulce *sopor* fessis : *sopor* est mera *mortis* imago:
Non sit *res?* cùm sit *dulcis imago rei?*
In Votis sunt *fata*; *libet Libitina* : volenti
Votorum veniat *summa*, *suprema* dies!

Uror

Uror amore tui Cœleſtis Patria: méq;
Hòc *magis* hic *urit*, quò *magis* ignis *abeſt!*

4.

Vita *mare* eſt, res plena metu, res plena tumultu;
Ad *portum*, *cymbam* quæ feret *hora* meam?
Jam ſatis infidum dubii ſulcavimus æquor:
Laurigerâ littus quando tenebo rate?
Mens mihi *navis* erit, *ſpes anchora*, *vota rudentes*,
Vela preces, *gemitus flamina*, *Vector Amor*.
Vita mare eſt, res plena metu, res plena tumultu:
Ad portum, cymbam quæ feret hora meam?
Quæ feret hora meũ (fuerit *quotacunque* diei)
Dicetur *Votis* hora *ſecunda meis*.

5.

Tetricus eſt animæ, *corpus* miſerabile, *carcer*:
Ecquando *fracto carcere liberero?*
Nobilis ut dicar; *ſervum* genuere *parentes*:
Nobilis à fatis, & Baro *Liber*, ero.

6.

Æthra! tibi noſtris *ſuſpiria* concita flammis,
Munus ab *Ignivomo pectore* mittit *Amor*.
Et *lacrymas* miſſurus erat, quas fudit; at illæ
In *terram* proprio pondere ſpontè fluunt.
Jure petit pars una *ſolum*, pars altera *Cœlum*;
Cognitus ut nuſquam non, meus eſſet *amor*.

ICONISMUS 40.

Stanislaus de tranſacta piè vita, & inſtante fe-

lice æternitate lætissimus, *mortem cum summa tranquillitate opperitur.* *Epigraphe* : PRÆTERITÓSQVE DIES, & TOTOS RESPICIT ANNOS; NEC METVIT. *Martialis l. 10. epigr. epig. 22. de Marco Antonio.*

Epigramma.

Est *lætum lethum*; sunt *Munera funera* Kostkæ,
 *K*ostkæ summa *rapit*, non *parit* hora metũ.
Mors semper vitæ est similis, qui dixerit, errat:
 Kostkæ vita fuit *seria*; Mors *jocus* est.
Palpitat ante necem Porcus, *non palpitat Agnus*;
 Kostkiades *Porcus* non erat, *Agnus* erat.

2.

Non metuit niveus præsentia funera Cygnus:
 Cantator Cygnus funeris ipse sui:
Nec metuit juvenis præsentia funera Kostka.
 Quid mirum? *Cygnus moribus*, ille fuit.
Candorem poterant à Kostka *discere Cygni*:
 A *Cygno juvenis* discere nil poterat.

Stanislaus humi abjectus mori optat, & impetrat.

Spiritus extremo tibi, Kostka, natabat in ore,
 Maxima funerei gloria, *K*ostka, thori.
Tollite ais *teneris mollita toralia plumis*:
 Addecet, *ut nuda demoriamur humo.*
Dixisti, placidáq; oculos sub morte natantes
 Occulis, in *nuda* (nec mora) stratus *humo.*

H Itamen

I tamen, & Superos felix attinge Penates:
Pluma tibi quamvìs *desit*, in astra *vola*.

Humi jacens divinissima mysteria, & suâ, & circumstantium consolatione magnâ suscepit.

In vitæ *meta* cur *Kostka* *viatica* sumit?
Ad *Manes grandis* conficienda *via* est.

Stanislai Morientis in Crucifixum Pietas.

Funereum stabat circum pia turba *grabatum*,
Deplêrátq; suam jam prope Parca colum;
Abs te dum Jesu petitur *Morientis* imago,
Móxq; datur manibus, Dive, terenda tuis:
Oscula mille labris libas, mille oscula plantis,
Oscula mille oculis, oscula mille genis.
Ponere vis actam sub hiulco pectore vitam:
Kostka sapis: *Melior* nam nequit *Vrna* dari.

Ejusdem pietas in Magnam Matrem.

Dum suprema tui te funeris hora vocaret;
Auxilium Magnæ Virginis antè rogas.
Et merito: Superos dum velles visere Divos,
Janua Cælorum * tunc adeunda fuit.

**B. Virgo Janua Cœli vocatur.*

Idem cum Rosario vult mori.

Stanislaus ad Rosarium.

O sertum *Supera* textum mihi sæpe *Patrona*!
Tu nota *perpetui* certa *Clientis eris*.

I nunc, & ſuperam pia cinge corolla Patronam,
Orbiculo ſacrum circumeunte caput.
Ut tu *perpetuum* ſine fine recurris in *Orbem*:
Sic meus excluſo *fine perennet* Amor.

De illius Roſario in tumbam collato.

Inſtanti jam jam clauſurus lumina Morti,
Se *parvis* armat cur, rogo, Koſtka globis?
Non niſi, cùm ſciret, *Violentis aſtra patere*;
Expugnare ſuis incipit aſtra *globis*.

Stanislaus ad B. Virginis imaginem.

Semper ô *ætherea* mihi dulcis imago *Patrona*!
Archetypum cernam, dic mihi, quando tuũ?

ICONISMUS 41.

Stanislaus anno 1568, feſto Aſſumptæ Virginis, horâ 3tiâ Matutinâ (quo tempore B. Virgo aſſumpta putatur) annum ætatis undevigeſimum ingreſſus, poſt 10 Menſium tyrocinium, pientiſſimè juxta, & placidiſſimè Romæ moriens. Epigraphe: PRIMIsQVE sVB ANNIs oCCIDIT. *Ovidius l. 13. Metamorph.* Epigram.

Eſſe quid hoc dicam? primis quod ſæpe ſub añis,
Interit *eximius Præcoce* morte *puer*;
Longáque cùm *Sapiens* mereatur *ſæcla juventus*
Contigit in *Vitæ limine* ſæpe mori!

Optima quæque rapit primò Mors *. *Optim⁹ ergò,*
Cum sit sæpe *puer*, *carpitur* inde *puer*.
Optima si rapiat primò *Mors*; *seligit* ergò:
Et Mortem *Cæcam* creditis esse *Deam*?

* *Silius Italicus.*

2.

Ne carptum *fato* doleas à *præcoce* Kostkam:
Ematuruerat; debuit ergò *legi*.

3.

Post decimum nono juvenis *defloruit* anno:
Floruit ergò *diu*? *floruit* anne *brevi*?
Floruit ille *diu*, florum si tempora spectes;
Si spectes hominum, *floruit* ille *brevi*.
Seu *florum* spectes, *hominũ* seu tempora spectes,
Mortuus est *sanctè*; *vixerat* ergò *diu*.

In tempus mortis, quæ accidit sub finem noctis.

Occidit *extremas* dum Nox jam spargeret *umbras*.
Verè Kostkiades *occidit ante diem*. *

* *Æquivocè hìc sumitur*: occidit ante diem.

Occidit Hesperiis dum Sol jam surgeret undis;
Scis cur? dum *surgit Cynthius, astra cadunt.*

Hora & dies mortis.

Quâ sacra Virgo *die*, sacra quâ decesserat *Horâ*,
Mortuus hac *horâ* Kostka, *diéq;* fuit.
Qui sic est *matrem* fatis *imitatus* in ipsis,
Filius haud quaquam *degener*, ille fuit.

Cur ſub tempus idē, quo Virgo, *K*oſtka receſſit?
Stella fuit; *Lunam* debuit illa ſequi.

2.

Aſſumptæ feſto cur ſcandit ſidera? *Matri*
Filius aſſumptæ *debuit ire comes.*

3.

Mane ſub auroram terris cur Koſtka *receſſit?*
Mane ſub Auroram cedere ſtella ſolet.

4.

Ad Cœlum cur ſe tam matutinus agebat?
Ad Cœlum longam noverat eſſe viam.

5.

Purgantes etiam num viſit Koſtka caminos?
Sat *purgatus aquis* antè; ſat *igne* fuit. *
* *Fletu & amore.*

Ad Koſtkam, Romæ defunctum.

Viſtula te terris *genuit*, te *Tybris* Olympo:
Quàm bene *Tybri pater*, *Viſtula mater*, ais!
NB. Tybri pater, aliquoties apud Virgiliū legitur.

De Stanislao, potius vi amoris, quàm morbi ſublato.

Qualis *tæda* ſuo moriens ſe funerat igne,
Nec petit alterius, quâ tumuletur, opem:
Arcano talis liquefactus ab *igne* fatiſcit
*K*oſtka, ſuo meritus dulciter igne mori.
Ergò parce *novum Tellus pia* ponere *buſtum*:
Ipſe ſibi buſtum Koſtka fit, ipſe *rogus.*

Koſtka moritur in diebus Canicularibus.

Dum *Canis Icarii* torrerent arva calores,
Eſt rupto viſus ſtamine *K*oſtka mori.
Non tamen *æſtivo* moritur conſumptus ab *æſtu* :
Dignus erat flammâ nobiliore mori.
Si mihi non credis, ſaltem credatur Amori,
Qui clarus *titulo funeris* hujus *ovat.*
Nam dum, neſcio quis, morientis corda puelli
Diceret *Æſtivo* ſuccubuiſſe *rogo* :
Erras, inquit, *Amor*: *non hac cadit hoſtia flammâ,*
Quæ modò fiſſilibus jugera torret agris :
Ipſe ego Sacrificus, puer inquit, *&* *ipſe* Sacerdos :
Ille fuit noſtris hoſtia *facta rogis.*

Aliud.

*K*oſtkius ardentes dum vibrat in aſtra ſagittas,
Optato cupiens claudere fine diem.
Mors & *Amor* tanto certant de funere, ſuetis
Mors jaculis, jaculis conſpiciendus *Amor.*
Certamen dubii dum fervet utrimque duelli,
Koſtkiadæ pect⁹ nobile fixit Amor. (inquit:
Vincimus inquit *Amor.* *Mors* invida *vincimur*
Mors fugit, & victâ *Morte* triumphat *Amor.*
I nunc, & *cæcum* canta deluſus Amorem :
Qui *cor* tam dextrè *percutit*, *Argus* erat.

EPI-

EPITAPHIUM STANISLAI.

Musa, sepulchrales Kostkæ properentur *honores*;
Ille tuæ moritur dignus honore Lyræ.
Musa sepulchrales Kostkæ properavit *honores*,
Hoc scripsit tumulo, quod properavit, opus:
Corpus in hoc hospes, ne quære, vel ossa sepulchro,
Præter enim cineres, nil habet iste rogus.
Ko*stkius ignis erat, dum viveret : esse superstes*
Extincto solus debuit igne cinis.
Erravi : præter cineres quid continet Urna:
Scilicet & Lachrymas continet Urna suas.
Kostkius amnis erat, dũ viveret: Urna superstes
Hinc cineres *Ignis* servat, & *Amnis* aquas.

Aliud.

Hìc jacet à *riguo* juvenis consumptus *Amore*:
*Scilicet *ustus aquis, naufragus igne*, jacet.
**N.B. Quia consumptus lachrymoso amore.*

ICONISMUS 42.

Stanislaus ob vitam sanctissimè actam, statim à morte, vulgò habitus est Sanctus; hinc illi inter Cœlites depicto adjicio Epigraphen: CœLo, DIIsQVE INSERIT EMERITOS LAVs. *Ausonius.*

Epigramma.

Dum vixit, *sequitur* fugitivum *Gloria*, Kostkã.
Incassum *sequitur*; *prendere* non potuit.

(queſtris
Prendere non potuit *peditem* (quis credat?) E-
Gloria: & *immenſũ Gloria calcar habens*; (las.
Nam *latebras* juvenis nunc has, nunc fugit in il-
Illâ ſequi in *latebras*, quò fugit ille, nequit.
Viderat hâncq; *fugam* bene, viderat hâncq; *ſe-*
Qui *cæcus*, *cæcis* eſſe putatur, Amor. (*quelã*,
Riſit Amor caſſo te currere, Gloria, curſu;
Quámq; priùs riſit, denique juvit, Amor.
Scilicet ex humeris ſuſpenſum corripit *arcum*,
Caſtáq; de Pharetra *Virgine*, *tela* legit.
Hæc, ait, *hæc certè te prendere* Koſtka *volantem*,
Prendere ſi nequeat Gloria, tela queant.
Dixit, & adductis intendit cornibus arcum;
Avolat aligeris ocyor haſta Notis:
Miſſa terebratas pervaſit arundo medullas,
Koſtkiades vitâ deficiente *cadit*.
Ut *cecidit*, properis accurrit *Gloria* plantis,
Inq; humeros juvenem ſuſtulit illa ſuos.
Mox ſuper *Æthereos* defunctum tranſtulit *axes*,
Et *toto* clarum Nomen in orbe dedit.
Si ſuper *Æthereos* te *Gloria* tranſtulit *axes*;
Funeris, ô juvenis! *bajula* quanta tui eſt!

ICONISMUS 43.

Stanislaus continuò à morte multos, maximè Polonos, ad Societatem JESU evocans è mundo:

Epi-

Epigraphe: NOSTRI ReCeDIte ! ReCeDIte ! eXIte InDe. *Isaia 52. 11.* Epigram.

Ut *Parcæ parcunt*, ùt *Luci* lumine *lucent*:
Mundus ita eſt *mundus*; ne maculere, fuge:
Inficit affrictâ Mundus fuligine mentem,
Immundum Mundum deſere, *mundus* eris.

Ad Mundum.

Tepoſitum Scriptura loco canit eſſe *maligno*:
Scilicet *igne malo*, Munde *Mal-igne*, flagras.
Igne flagras *triplici*; nam *faſtûs* totus ab *Igne*,
Totus *avaritiæ*, *luxuriæq;* flagras.
Cùm *toto* tam *ſpurca flagrent incendia Mundo*,
Qui *ſapis*, hanc *Sodomam* deſere; *Lothus* eris.

ICONISMUS 44.

Stanislaus *fratri ſuo* Paulo *ad ſeriam vitæ emendationem traducto*, *& ad cœli limina ſtanti*, *inſcribit Epigraphen hanc*: DVCe Me perDVCtVs. *Ovid. l. 3. Am. el. 12.*

Epigramma ad Stanislaum.

Poſt mortem fratris *reſipiſcis* denique Paule:
Crede mihi, fratris *Mors*, tua *Vita* fuit.

De converſione Pauli.

Aſtra *Stanislaus* vix ſcandit; quando *refingi*,
Inq; *novum* frater cœpit abire *virum*.
Exclamare juvat, verſæq; applaudere Vitæ:
Quàm ſubitò *Paulus*, qui modò *Saulus* eras

De

De eadem.

In vita fratris *Bacchanal Paulus* agebat :
Frater obit : *Cinerum* nunc agit ille *diem*.

De eadẽ Parergon morale ad Cosmoph.

Ditior ut fieret *resipiscens Paulus*; & aurum
Abjicit, & reliquas, futile pondus, opes :
Dum pedes ingreditur, pedes hic, quæsita *relictis*
Ocyor ad Cœli *sydera* tendit equis.
Ut ne *solus* eat, præbe sis, *Cosmice*, cœptæ
Te comitem *Vitæ*, te comitémq; *viæ*.

Parergon morale secundum.

Aspice *Kostkæo* natum de sanguine *Paulum* :
Quàm subitò est *Cygnus*, qui modò *Corv⁹* erat.
Vix sacer afflârat divinæ spiritus auræ :
Expulsus toto pectore Mundus abit.
Dispergun tur opes, irritamenta malorum :
Hæres ex *toto* scribitur *asse Deus* :
Ex *tabulis* Pauli te fortè querere, *relictum* :
Hæredem exempli te jubet esse sui.

ICONISMUS 45.

Exprimit in magna tabula Stanislaum, ut communem in omni necessitate opitulatorem. Hic enim exhibetur, ut Dæmones ex obsessis ejiciens, cũ Epigraphe: IN MANV ROBVSTA EIICIET ILLOS DE TERRA. *Genesis 6. 1. hîc effigiatur, ut mer-*

morbos curans , *cum Epigraghe* : oMnes CorporeÆ eXCeDVnt pestes. *Virg. l. 6. Æn. Hîc delineatur* , *ut solatium afferens in magnis animæ anxietatibus, cum Epigraphe* : ConfIrMaVIt DefICIentes sVstInere. *Eccli. 17. 20.*

Epigramma.

Jam Procul *Hippocratis*, procul ite *Machaonis* artes,
Quisquis habes *medicâ* nomen ab arte, vale.
Si quem sæva lues teneat, mihi credite, pluris
Kostkiades *Medicis omnibus unus* erit.
Hi morbos *flammisq;* domant, *ferróq;* recidunt,
Kostkiades *solâ* cedere *voce* jubet.
Si *pede claudus* opem poscat, si *lumine captus*:
Rectiùs hic *graditur*, *rectiùs* ille *videt* :
Quæq; prius reptabat iners te, Dive, jubente;
Currere præcipiti visa *Podagra* pede est.
Dúmq; *valere* jubes *Morbum*, dum *vivere Mortē*,
Ille *valet* jussis, *vivit* & illa tuis.

Vide plurima miracula à Stanislao patrata in appendice, vitæ adjecta, è plurimis, unum, aut alterum delibo.

Stanislaus Mariam Scalatam ab Dæmone liberat.

Hospes erat *Mariæ* lethæus prædo *Scalatæ* :
Heu mihi quàm multis *flebilis, hospes* erat!
Curritur ad Kostkā: pellit cacodæmona Kostka,
Cogitur humanam linquere Pluto domum.

I pete Tænarios, noti pete carceris ignes;
Nec noſtras unquam, prædo, reviſe plagas.
Aut certè ad *Porcos* iterum divertere; námq;
Fœdus Amicitiæ *Porcus* & *Orcus* habent.

Ab Nurſino 14 Dæmonia ejicit.

Quatuor & *deni* Nurſinum Dæmones urgent:
Quatuor & *denos* corpore Koſtka fugat.
Alcidæ ſileat *duodenos* fama *labores* :
Monſtra tot, eſt majus *perdomuiſſe* decus.

Jacobo Lauro chalcographo ſuo, viſum reſtituit.

Cæcus fit, crebro Koſtkam qui ſculpſerat ære:
Sculptori reddit lumina *K*oſtka ſuo.
Scripſi, non *ſculpſi*, *plures* tibi, Koſtka, *tabellas*,
Dic, noſtri merces ecqua laboris erit?
Non peto *corporeos*, *munuſcula* tantula, *viſus* :
Lumina da *menti*, da meliora meæ.
Lumina ſi noſtræ dederis, quæ poſtulo, *menti*;
Corpore *Tireſias* ſim licèt : *Argus* ero.

Invocatur à Perilluſtri Domina Anna Theodora de Ligneville, ob præbitum venenũ dirè cruciata. *Epigraphe* : HVC ADES, & TENERÆ MORBOS EXPELLE. *Tibullus l. 4. de Cherinthi uxore ægrot.* Epigramm.

Illuſtris lento contabuit *Anna* Veneno;
Ante, tamen, Koſtkæ ſupplicat Anna necem.

Koſtka

Koſtka *manum medicam* cœlo porrexit ab ipſo:
Et Superis *longas* quis neget eſſe *manus*? *
* *Alluditur ad illud*: An neſcis longas regibus eſſe manus.

Invocatur in difficillimo partu à Conſanguinea, Illuſtriſſima Domina Anna Koſtka, Oſtroviæ Duce, Comite Tarnoviæ, Voliniæ Palatina. Epigraphe: neC parVa MIhI fIDVCIa gentIs. *Valerius Flaccus l. 3. Argonauticon.*

Epigram.

Dive laboranti jam nunc ſuccurre puellæ;
Námq; *tuæ pars eſt* illa Puella *Domûs*.
Te per ego noſtram, communia Vincula, Gentē,
Te per ego charum, quidquid in orbe, rogo;
Ne patiare utero fœtum retinente *morari*;
Plúſq; rogo, fœtum ne patiare *mori*,
Dixerat: & facili fit fauſta *puerpera* partu.
**Si juvat, in partu Koſtka; Diana* vale.
* *Diana apud gentiles puerperiis præfuit.*

Invocatur à Polonia, Turcis jam jam in campo congreſſura. Epigraphe ſupra Poloniam Stanislao ſupplicem: nVnC, qVoD sVper est, fer opeM preCor. *l. 1. de Pont. E. 7. Epigraphe ſupra Stanislaum Turcis oppoſitum*: rIsIt nVbe seDens Vani ConaMIna CœptI. *Silius Italicus l. 12. Epigraphe ſupra Turcas*:

Cor-

CorrVent InterfeCtI In MeDIo eIVs. *Baruch.* 28. 23. Epigram.

Turcia nunc trepida; trepidet ne sola *Saguntus*,
Hannibal ad *Portam* ſtat modò *K*oſtka tuam.

NB. Alluditur ad illud: Hannibal ante Portam: & ad Portam *Ottomannicam*.

De glorioſiſſima Polonorum Victoria, ope Stanislai à Turcis relata.

Decolor humano cur *ſanguine Luna rubeſcit?*
Contra ſe Koſtkam vidit; & *erubuit*.

2.

Turcia corrupto turgebat *ſanguine*: tanto
Cœleſtis properè facta *medela* malo eſt.
Chirurgus ſupero demittitur *æthere K*oſtka:
Incidit *venam*, Turcia, Koſtka tuam.
Largè vena fluit; largo quia vulnere ſecta:
Uſus pro *cultro K*oſtkius *enſe* fuit.
Chirurgos ſimiles mittat ſi ſæpius æther,
Exſanguis modico tempore, *Turcus* erit.

ICONISMUS 46.

Synodus Petrovicenſis *Stanislaum* *Koſtkam*, *In Patronum Poloniæ eligit.* *Epigraphe*: QVæ sarMatICIs CVstoDIa rIpIs! *Claudianus in Epital. Palladii & Serenæ.* Epigr.

Quà *Confeſſores* inter, quà *Martyras* inter,
Jam *Stanislaos* noveris eſſe *duos*:

Hi

Hi *Stanislai*, cùm sint de gente *Polona*,
Quàm pulchros *Geminos Arcticus axis* habet!
His *Geminis* ducibus, *securis* navigat undis,
Fortunæ navis, *Terra Polona*, tuæ.
Scilicet hi *Gemini*, *puppis* tibi *proráq;* fient:
Hi fient votis *portus*, & *aura* tuis.
Auxilio *gemino*, terráq; maríq; juvabunt;
Nequa premat terris, nequa procella mari.
Alcides & *Athlas* in terris ambo; maríq;
Alter erit *Pollux*, *Castor* & alter erit.
Quàm *Pollucis*, erit major *lux* illius: hujus
Præ *face Castorea castior ignis* erit.

ICONISM. 47. & Poëticus.

Proponit varia, quæ futura præsagit; nam:
Veridici ventura solent prædicere Vates;
Quique *Poëta* fuit, sæpe *Propheta* fuit.
Primò *autem proponitur Roma solenni ritu Divū Stanislaum in Sanctorum numerum referens. Epigraphe ad Stanislaum*: oMnIs tVa saCra freqVentat ThybrIDIs, & LatII soboLes. *Claudianus in 4 Consulatum Honorii.*

Epigram.

Desita sunt veteris *Floralia turpia Floræ*;
Non colit *obscænam* Roma moderna *Deam*:
Jam *pia Sarmatico* fervent *Floralia flori*.
Solius *Veneris*, non celebranda, *die*.

Flos

Flos *Kostka* est quid ni, præ Flora Kostka colatur?
Illa licet *Dea* sit; sanctior ille *Deâ* est.
Quando tulit *fructum, florem deperdidit* illa:
Cum *fructu florem*, *jugiter* ille *tulit*.

Secundò *proponitur Roma exhibens uniuersi Orbis venerationi, imaginem Divi Stanislai, adjectâ Epigraphe*: FILIVS DeI gLorIFICetVr per eaM. *Joannis 11. 4.*

Epigram. *ex ore Romæ.*

In *Sanctos* miræ *Mundus* solet indolis esse:
Se spretum. *cultu vindicat* ille, *suo*.
In *Cœlum* summis *extollit* laudibus *hostes*:
Cultores contrà *despicit* ille suos.
Aris & templis *hostes*, & *imagine* donat:
Cultores altâ condere nocte solet.
In *Sanctos* quoniam *Mundus* sic *vindicat hostes*;
In *Kostkam Mundus*; quod facit *ultor*, agat.

Tertiò *proponitur Polonia altâ Stanislai sui contemplatione defixa, adjectâ Epigraphe*: ACCenDIt patrIæ VIrtVtIs IMago. *Silius Ital. l. 1. de bell Punico.*

Epigram. *ex ore Poloniæ.*

Depictum meditor quoties in *imagine* Kostkam;
Flamma, nescio quæ, *viscera* nostra coquunt.
Uror amore tui, stellati *Regia* Cœli:
Nec minus; *ô Virtus! uror* amore tui.

Quæ

Quæ ſic *accendis*, patriæ Virtutis imago;
Uſtoris vitrum es; non es *imago mihi.*

Quartò *Repræſentatur Stanislaus clientibus ſuis Cornu Copiæ obtendens, ſpiritualibus juxta, ac corporeis donis repletum, adjectâ Epigraphe*: oMnIa hæC aDIICIentVr VobIs, *Lucæ 12. 31.*

Epigram.

Infeſtat Stygio te miſſus Alaſtor ab antro?
Ad Koſtkam ſupplex confuge; tutus eris.
Affligunt tetrici corpus miſerabile morbi?
Ad Koſtkam ſupplex confuge; ſanus eris.
Erodunt vigiles præcordia triſtia curæ?
Ad Koſtkam ſupplex confuge, lætus eris.
Res anguſta domi eſt, vel nulla, vel arcta ſupellex.
Ad Koſtkam ſupplex confuge; dives eris.
In voto eſt, cunctis melior doctrina metallis?
Ad Koſtkam ſupplex confuge; doctus eris.
Fors *bona* ſunt cupidis, quæ prenſas, *altera*, votis?
Ad Koſtkam ſupplex confuge; compos eris.
Fors *mala* ſunt, plenis, quæ vitas, *altera, velis*?
Ad Koſtkam ſupplex confuge; liber eris.
Quid dubitas, an *tanta* queat concedere Koſtka?
Koſtka eſt (ut fatur *Fatius*) *Omnipotens.*

N.B. Julius Fatius Stanislaum omnipotentem jucundè appellitare eſt ſolitus. Sacchin. in vita.

ICONISMUS 49.

Proponitur Stanislaus omni ætati in exemplar vitæ, appositâ epigraphe : CogIta ILLVM, & Ipse DIrIget gressVs : *Proverb. 3. 6.*

Epigram.

Per *terras* erras? in *K*oſtкam reſpice: greſſus
E *cœno* in *Cœlum* diriget ille tuos.

2.

Mercurium fruſtra gentilis fabula fingit,
Sæpe per æthereas ire, redire vias;
Et ſerpentigerâ mentes ſuper æthera virgâ,
Ad ſummi rectà ducere templa Jovis.
Veriùs *exemplo ducis* ſuper æthera *K*oſtкa!
Tu mihi *Mercurius*, tu mihi *ductor* eris.

ICONISMUS 50mus & ultimus.

Author opuſculum ſuum Divo Stanislao offert adjectâ epigraphe. LAVDVMqVe LoCo est. *Silius Italicus l. 15. de bell. Punic.*

Epigr. ad Stanislaum.

Qui Sanctos *ſequitur, laudat*: *laus* vera, *ſequela*
(*eſt.*
Ut te laudârim; da mihi, Dive, ſequi.

Ad Momum.

Verſificatorem me dicis *Mome*: *Poëtam*
Eſſe negas: *ſic eſt*; *fingere* non didici.
Sunt quædam non *clara* ſatis tibi *carmina*: *ſic eſt*;
Scripſimus *obſcuro*, ſcilicet, illa *die*.

Sunt quædam nec *falsa* satis te judice : *sic est* ;
Omnis, dum *fierent*, absuit inde *coquus*.
Sunt quædam nec *acuta* satis te judice : *sic est* ;
Ingenii cotem non tetigere tui,
Sunt quædam nec *tersa* satis te judice : *sic est* ;
Si *sat tersa* forent carmina ; *sicca* forent.
Sunt quædam *jejuna nimis* te judice : *sic est* ;
Ante *meum* feci *presbyter* illa *sacrum*.
Et quædam sunt *clauda* nimis te judice : *sic est* ;
Disticha sunt, *claudo* currere sueta *gradu*.
Ludere me dicis. *sic est* ; quò seria tecum ?
Elido ludo spicula, *Mome*, tua.

Claudo Iconismos Kostkaos non vano hoc, de Divi Stanislai Apotheosi, præsagio : DIES EIVS, TANQVAM FLOS AGRI, SIC EFFLOREBIT. *Psalm. 102. 15.*

PARERGA SYMBOLICA,

Iconiſmis Koſtkæis adjecta,

Sub

Variorum FLORUM Symbolis, ab integro

D. STANISLAUM KOSTKAM

Typicè adumbrantia.

METAMORPHOSIS

Stanislai in florem.

Epigramma,

In Florem verſum *mentitur Fabula* corpus,
Ut *Narciſſe* tuum; ſic *Hyacinthe* tuum.
Ipſa ſed in *Verum* jam verſa eſt *Fabula*; nempe
Fabula, dum *floret* Koſtka, fit *Hiſtoria*.

Stanislaus poſt mortem ſuaviſſimè è ſepulchro redolens.

Ambroſios ſpiras dum Koſtka ſepultus odores,
Ut *Flos*, ex ipſo caudice raptus, *oles*.
Scilicet *halantem* rapuit *Mors* invida *florem*;
At manet abrepto *flore*, ſuperſtes *odor*.

SYMBOLA PRÆLIMINARIA.

1. Bulbus floris, *ut altiùs excreſcat, terra immerſus, cum lemmate* : qVI DesCenDIt, Ipſe eſt, qVI asCenDIt. *ad Epheſios 4. 10. Stanislai humilitas.* Epigramma.

Surget humo, ſi mergat humi ſe *Bulbus*: ut altum
Scandat *K*oſtka Polũ, quàm bene ſerpit humi!

2. Flos Lilii, *cum lemmate* : eCCe MVnDVs totVs. *Ioannis 12. 19. Stanislai Angelica puritas.* Epigramma.

Lilia, munditie vincunt, ſi *Floribus* addas;
Si *Koſtka*, multum *Lilia* labis habent.

3. *Heliotropium* toto die ſolem ſequens, cum lemmate : VsqVe aD oCCasVM, *Exod. 17. 12. Perfecta Stanislai cum divina voluntate conformitas.*

Epigramma.

Nocte diéque ſuum ſequitur dum *Sarmata Numē*;
Diſcat ab hoc, *ſolem Solſequus* ipſe, ſequi.

4. *Roſa* cœlum verſùs altiùs excreſcens, cum lemmate: AD CœLVM eXaltata. *Lucæ 10. 14. Magna Stanislai in Deum charitas.*

Epigramma. (nantis

Ut fragret & flagret in cœlum *Roſa*; Koſtka to-
Fragrat Amore magis, flagrat Amore magis.

5. *Flos altari impoſitus*, cum lemmate : ADspICIs, Vt teMpLIs aLIVs nItor: *Statius l. 4. Sylv, conſ. 17. Imper. Stanislai Sanctitas.* I 3

Epigramma.

Ara aliàs *flores*; nunc debita *floribus ara* est:
Hoc debent *flores*, *floride* Kostka, Tibi.

6. *Flos defluus*, cui alius subnascitur, cum lemmate: sVCCeDens prorogat æVVM. *Ausonius in rosa. Stanislaus mortuus illo anno, quo natus Aloysius.* Epigramma.

Fata Stanislaum carpunt; *Aloysius* Orbi
Nascitur: in *floris flos* subit, ecce locum.

SYMBOLA EXEGETICO-PANEGYRICA.

Potissimos Stanislai actus typicè adumbrantia.

SYMBOL. 1. *Flos in vasculo* Domini sui insignibus notato, cum lemm. *Dominum cognoscite. Ovidius in Metam. Stanislaus materno adhucdum latens utero, sacrosanctum JESU nomen praeferente.* Idem aptè figurabitur per *Hyacinthū* jam jam in Florem erupturum, cum lemm. *Nascetur nomina Regis inscriptus. Virgil. Eclogâ 3. verbis paulò immutatis. NB. Viri eruditi in* Hyacintho *geminos hos characteres* A *&* I, *Naturæ manibus inscriptos observant; & quidem litera illa Ajacem (ut fabulantur Poëtæ) in hunc florem conversum, respiciunt.*

Epigramma.

Dic, quibus in terris, inscripti nomina Regum
Nascantur flores? Musa Maronis ait.

Solvo,

Solvo, *Poëta*, tuum nullo molimine gryphum:
Dic mihi, *Solventi præmia quanta* dabis?
Flos Kostka est: Jesus *Rex* est: *venerabile* Jesu
Nomen præ matris pectore Kostka tulit.
Si sic Kostka tulit Jesu *venerabile nomen*,
Inscriptus Regis nomine Kostka fuit.
Inscriptos ergò, *Maro*, desine quærere *flores*:
Quod quæris, dudum *Terra Polona* dedit.
Terra Polona dedit. *Monstrorum patria* cedat
Africa: plus *miri Terra Polona* dedit.

NB. Hujusmodi epigrammata, aliásq; inscriptiones singulis Symbolis subnecterem; sed præfinita brevitas vela contrahere jubet.

Symb. 2. *Rosa ex alta stirpe pullulans* cum lem: *Tanta stirpis honor.* Stanislaus clarissimis ortus natalibus. 3. *Flos Rhododaphnes*, cum lemm. *De virgine nascor.* stirps Stanislai nulla Hæresi corrupta. 4. *Flos Caryophyli* diducto necdum calyce, clausus, cum lemm. *Dum tener est, abscondit opes.* Stanislaus ex prima pueritia in ædibus Paternis posita, parùm notus. 5. *Flos Hemerocallis* eodem die & nascens, & senescens, cum lemm. *Lux eadem puerum conspicit, atque senem.* Summa in puero Stanislao morum maturitas. 6. *Ligustra* fœdis tempestatibus in Terram decussa, cum lemm: *Alba* (Subintellige *Ligustra*) *cadunt* Virgilius. Stanislaus castissimus Puer,

ad fœdos diſcurſus deliquium animi pati, & in terram collabi ſolitus. 7. *Flos peregrinus* in tralatitia capſula, cum lemm: *Et nos percurimus Orbem.* Stanislaus è Polonia Viennam ſtudiorum cauſâ peregrinans. 8. *Roſa* inter cæpas cum lemm: *Creſcit odor Horatius l. 4. od 12.* Stanislaus cum magno patientiæ incremento, apud hominem Hæreticū Vieñæ divertere compulſus. 9. *Flos olivæ* cum lemm: *Me ſacrum ſibi Pallas habet.* Stanislaus Scholis Viennenſibus immiſſus. 10. *Corona imperialis* inter minores floſculos cum lemm: *Supereminet omnes.* Stanislaus Viennenſes inter ſtudioſos, 11. *Heliotropium* ſolem matutinum reſpiciens, cum lemm: *Mane levat cum ſole caput.* Stanislaus maturrimè lecto ſurgere ſolitus. 12. *Roſa* cum lemm. *Plena pudoris.* Columella de cultu hort. Eximia Stanislai verecundia. 13. *Flos aſphodeli,* cum lemm: *Noli me tangere,* Stanislaus pravos ſocios ſummè averſans. 14. *Lilium convallium,* cum lemm: *Deſertis Floreſco locis.* Stanislaus ſolitudinis amantiſſimus. 15. *Tulipa* Sicciorem, minusq; pinguem glebam deſiderans cum lemm: *Iejunia paſcunt* Stanislaus Temperantiæ admodum deditus. 16. *Delphinium* (Germanis Ritter-Sporen) adnato ſtimulo ſpectabile. cum lemm. *Calcar habet; Ovidius.* Stanislaus

nislaus vel ſolius Equeſtris ſtirpis ſuæ meditatione ad alta extimnlâtus. *17. Solſequium* lunæ & ſtellis tergum obvertens, cum lemm, *Non veſtro lumine ducor.* Stanislaus vanæ & ſæcularis Gloriæ maximus contemptor. *18. Idem Flos* deſpectâ terrâ ad cœlum, ſolémque caput convertens, cum Lemm. *Non inferiora ſecutus. Virgilius l. 5. Æneidos.* Stanislaus ſolis divinis, æterníſq; intentus. *19. Solſequium* interdiu ſe ſemper movens, cum Lemm. *Suo cum ſole laborat.* Stanislaus Otii oſor, quàm qui maximus. *20. Selenotropium* (Germanis Mohnen-Wendel) ad Lunam converſum, cum lemm. *Te ſemper ſpectabo ſequens.* Stanislaus cultor ſingularis B. Virginis. *21. Lilium* ob odoris vehementiam multis, maximé ægris, intolerabile cum lemm: *Nil ægris gravius.* Stanislaus fratri ſuo Paulo, ob eximiam virtutem inviſus. *22. Lilium* à Spinis punctum, ideóq; ſuaveolentius, cum lemm: *Puncto fragantia creſcit.* Stanislaus quò magis à Fratre vexatur, eò magis in patientia proficit. *23. Lilium* Spinas, à quibus pungitur, ſuis foliis ornans, cum lemm: *Eſt hoſtes decoraſſe decus.* Stanislaus inimicum Paulum omnibus officiis proſequi ſolitus. *24. Lilium* inter circumſtantes Spinas tutum, cum lem̃: *Munimen ab illis.* Stanislaus duriſſimam ſenſibus

externis ponens custodiam. 25. *Gesminum* subnascentibus in horas ferè novis floribus fœcundum, cum Lemm. *Parvo Fœcundor, at ubere, fœtu*. Stanislaus jaculatoriis precibus oppidò quàm addictus. 26. *Stellaria noctiluca*, cum Lemm. *Clarior in tenebris*. Stanislaus in precibus pernoctans. 27. *Bellioculus* dies noctésq; apertus, cum Lemm. *Vix lumina claudit*. Stanislaus sæpe noctes diésq; divinis intentus. 28. *Heliotropium* occulta vi circumagi solitum cum Lemm. *Occultâ virtute trahor*. Stanislaus divinitus ad Societatem Jesu tractus. 29. *Lilium* angues abigens, apes attrahens, cum Lemm. *Fugóque, trahóque*. Stanislaus in morbo Dæmonem fugans, Cœlites attrahens. 30. *Granadilla* seu *Flos Indicus* sui novitate plures ad spectandum alliciens, cum Lemm. *Multi illum pueri, Multæ optavere puellæ*. *Catullus in Carmine nuptiali*. Stanislaus ab Angelis, D. Barbarâ, Beatissima Virgine, & puerulo Jesu visitatus. 31. *Flos* rore Cœlesti nutritus cum Lemm. *Æther alimenta ministrat*. Stanislaus bis ab Angelis pane Eucharico refectus. 32. *Flores plures* in uno Fasciculo suaviùs redolentes cum Lemm: *Suaves miscetis odores*. *Virgilius eclogâ 2.* Stanislaus, & puer Jesulus eodem in lecto colludentes. 33. *Selenotropium* à Luna motum cum lem̃:

Sequar

Sequar quocunque trahes. Stanislaus à Beatissima Virgine ad Societatem Jesu disertis verbis vocatus. 34. *Anemone* Zephyro se pandens, cum lemm. *En totos tibi pando sinus.* Stanislaus Divinis instinctibus perfectè, si quis alius, obtemperans. 35. *Caryophylum*, ne cadat, vimineo nexu statumini alligatum, cum Lemm. *Vincula firmant.* Stanislaus suum de intranda Societate pium propositum emisso voto stabiliens. 36. *Tulipa Persica* suopte motu de loco in locũ serpere, ideóq; nonnisi locis septis, conseri solita, cum Lemm. *De statione fugit.* Stanislaus vocationis Religiosæ gratiâ Romam Viennâ profugus. 37. *Lilium* abjectis foliis, cum lemm. *Et adhuc in stipite regnat.* Stanislaus omnibus se terrenis abdicans. 38. *Flos in apricos* Soli & imbribus expositus, cum lemm. *Firmat sol, educat imber. Catullus in carmine Nuptiali.* Stanislaus Romano in itinere inter quaslibet aëris tempestates lætus. 39. *Flos sub umbraculo* latens, cum Lemm. *Adest, nec adesse putatur.* Stanislaus ab insequente, proximóq; Hospite (quem ipse sat distinctè cognoscebat) in itinere haud agnitus. 30. *Calendula* (sic dicta teste Pincinello, quod omnes mensium Calendas recenti quodam serto insigniat) cibis, mensísq; adhibita, cum Lemm. *Menses, mensásq; coronat.* Stanislaus

Stanislaus Dilingæ ad menſam ſerviens. 41.
Nomen Jeſu ex floribus artificioſè compoſitum, cum lemm. *Ornatur & ornat.* Stanislaus ingreſſu ſuo Societatem Jeſu multùm ornans, & ab ea plurimùm ornatus. 42. *Miraculum Hiſpanicum* poſt translationem feliciùs effloreſcens, cum lemm. *Translatio prodeſt.* Stanislaus Romano in Tyrocinio plùs, quàm alibi, ad virtutem incumbens. 43. *Nymphaa aquatica*, cum Lemm. *Nunquam liquidis ſicca carebit aquis. Ovidius l. 1. de Pont. El. 5.* Stanislaus ab ipſo Tyrocinii limine, piis identidem lacrymis colliquenſcens. 44. *Tulipa* inter diverſicolores flores, omnium in ſe colorem exprimens, cũ lemm. *Decor omnis in uno.* Stanislaus quidquid laudabile in aliis adverteret, in ſe exhibere conatus. 45. *Frutex Roſaceus* literis, à cultello inciſis, hinc inde conſcriptus, cum lemm. *Litera pungit.* Stanislaus acerbiſſimis à Parente literis ſub Tyrocinii initium correptus. 46. *Heliotropium* flaccescentibus jam foliis, orituro Soli oppoſitum, cum lemm. *Vel ſic ab Sole videri, haud pudor eſt.* Stanislaus in habitu obſoleto ſe Cardinali Commendono ſiſtendi copiam nequicquam à ſuperioribus flagitans. 47. *Papaver* ſomnum concilians, cum lemm: *Dat requiem,* Stanislaus ſuis precibus uni fratrũ tran-
quilli-

tatem animi à Deo impetrans. *48. Flos perpetuus* (Germanis Allezeit-frisch:) cum Lemm. *Perpetuùm vernat.* Stanislaus semper Religiosâ modestiâ lætus. 49. *Heliotropium* solum Solem constanter respiciens, cum Lemm. *Hunc respicit unum.* Stanislaus in orationibus nunquam à Deo evagari solitus. *50. Rosa in cono distillatorio*, cum Lemm. *Flagrátque fragrátque.* Stanislaus divino Amore æstuans, Christi bonus odor efficitur. 51. *Lilium* è lacte Junonio (ut fabulantur Poëtæ) ortum, candore suo natales indicans, cum Lemm. *Et documenta damus, quâ simus origine nati. Ovidius l. Metam.* Stanislaus B. Mariæ Virginis (quam matrem suam vocitabat) mores æmulans, valdéq; Matrissans. 52. *Flos Passionis*, cum Lemm. *Hìc passi Numinis umbra est.* Stanislaus solicitâ sui abnegatione Patientem Christum quotidie imitatus. 53. *Caryophylum* rupto cortice hians, cum Lem. *Dum rumpit se, pandit opes.* Stanislaus corpus suum flagris conscindens. 54. *Lilium* vepribus munitum, cum Lemm. *In tuto sic candor erit.* Stanislaus ad tuendam Castimoniam, cilicio incinctus. 55. *Heliotropium* solaribus radiis collustratum, cum Lemm. *Cælesti jam luce micat.* Stanislaus secundum faciem divino fulgore collucens. 56. *Flos* à ventis quoquoversus agi-

tatus,

tatus, cum Lemm. *Quò libet, impellunt.* Stanislai obedientia, ad omnem Superiorum nutum promptissima. 57. *Rosa* præmaturè flaccescens, cum Lemm. *Pubescentem juncta senecta premit. Ausonius de rosa.* Stanislaus anno ætatis undevicesimo, vix inchoato, demoriens. 58. *Caryophylum* diebus Canicularibus nimio ab æstu emarcescens, cum Lemm. *Extinguimur igni.* Stanislaus circa assumptæ Virginis, nimio amore consumptus. 59. *Lilium* à caule recisum, vitróq; impositum, cum Lemm. *Post funera spirat.* Stanislaus suavissimum è sepulchro odorem exhalans. 60. *Eodem Lilio* instructum Conclave, cum Lemm. *Servabit odorem. Horatius.* Præclarissimis Stanislai exemplis usura in posterum Jesu Societas. 61. *Rosa* postquam carpta, in plurimos usus serviens, cum Lemm. *Magis post funera prodest.* Stanislaus omnigenis miraculis clientes suos juvans. 62. *Lilium* pungentes spinas pulchrè decorans, cum Lemm. *Sic vindicat hostes.* Stanislaus Paulum fratrem, à quo tanta passus, ad frugem, cælúmq; perducens. 63. *Lilium* serpentibus fatale, apibus amicum, cum Lemm. *vitámque, necémque spargit.* Stanislaus Polonis propitius, Turcos insigni clade afficit. 64. *Anemona* ad molles Zephyrorum afflatus, pompam foliorum suorū expli-

explicans, cum Lemm. Clementib⁹ *Auris panditur*. Vel: Clemens *Afflavit honores. Virgil. l. 1. Æn.* Stanislaus à Trino *Clemente* (octavo scilicet, decimo, & undecimo) eò honorum inter Divos promotus, ut jam solenni Canonizationi sit proximus. *Symbol. 65.* & ultimum: *Hortus* diversissimis juxtà, & pulcherrimis *Floribus* plenus, cum Lemm. *Exspectantur apes.* Stanislai vita præclarissimis efflorescens Virtutibus, ad sui lectionem, Lectorem quemcunque invitans.

Author

Flores Symbolicos D. Stanislao offert, adjectâ sacris è paginis mantissâ hac: CIRCVMDABIS TIBI EOS, QVASI SPONSA. *Isaiæ 49. 18.*

Epigramma.

Accipe Dive *Tuos Flores*: Tibi *flore* parâsset
Author *floridius*, si potuisset, *opus*.
Do *Flores equidem*: Tu *fructum* redde; fac, olim
Elysiis tecum *floreat* Author *agris*.

Idem monet Zoilum, ne Symbolicos hos flores carpat; QVIA SANCTIFICATI SVNT DOMINO *L. 2. Paral. 23. 6.*

Epigram. ad Zoilum.

Carpere, quos tentas, sunt *sacri*, Zoile, *flores*:
Ne sis *Sacrilegus*, *carpere sacra*, cave.

Contrarium:

Ore tuo *viola* noſtros, ô Zoile! *flores*:
Dente ſimul flores, Zoile, *rode* tuo.
Si *violas*; *Violas* facies, ô Zoile *flores*:
Zoile ſi *rodis*; feceris eſſe *Roſas*.

Idem, cùm Divo Stanislao jam obtulerit flores; *Zoilo, quæ ſolæ ſuperſunt, dat* ſpinas, *adjecto è ſacris Theſauris hoc munuſculi auctario*: ECCE HABES, QVOD TVVM EST. *Matth.25. 25.*

Epigramma.

Zoile *ſpina tua eſt*; *ſpinoſi* námque *cerebri* es:
Pungere ſæpe ſoles: Zoile *ſpina tua* eſt.
Tolle tibi, quodcunque *tuũ* eſt, & *vade*: Roſáſque
(Sic te devoveo) ſub pede ſemper habe. *

* *Calcare Roſas de Fortunatiſſimis proverbialiter vulgò dicitur.*


SYNOP-

SYNOPSIS
D. STANISLAI KOSTKÆ S. J.
Paterna juxta, ac Materna Inſignia,
Vitam, Miracula poſthuma, decretámque Canonizationem,
COMPENDIO COMPLECTENS
Edita, additáque pro his, quibus non vacat totam vitam evolvere.

AD LECTOREM.

SUmmam jam manum Koſtkæis Iconiſmis *Typographia impoſuerat; quando ab Tyberi, & plurima, & ad* D. STANISLAI *hiſtoriam non parùm factura, & intacta mihi hactenus, affluxit materies. Venit ſubinde in mentem, non modicam ab Lectore piè curioſo gratiam initum iri; ſi, & quæ per* Iconiſmos *ſparſa erant diffuſiùs, in arctum cogerem, &, quæ inibi omiſſa, ex Romano nunc fonte hauſta, ſuis locis inſpergerem. Eapropter continuò novellæ me accinxi operulæ, quam utcunque nunc jam ad calcem deductam,* Iconiſmis *meis, ceu mantiſſam, adjicio: Tu amice Lector ſubſecundario hoc, ſubſecivóque labore, ad Majorem Dei O. M. & nuperi Cælitis noſtri gloriam utere, longúmque vale.*

Paternum D. Stanislai Insigne.



Kostkarum Virtus *vestigia* linquit ubique:
Quàm bene sic *soleis* utitur illa suis!

Maternum D. Stanislai Insigne.



Kriskarum ſcuto cur *tanta Corona* refulget?
Kriskarum *meritis* debita, *tanta* fuit.

Insignia D. Stanislai, epigrammatis Insignita.

In Gentilitias Kostkarum *Soleas.*

Semper *Equi Soleâ* Gens *Kostkia* fulsit: *Equestrē,*
Quæ fulsit *Soleâ*, quis neget esse *domum?*

2. *Terra Polona* bonos, *Soleas* convertit in usus:
Hostes his *calcat* Terra Polona suos.

3. Sæpe per hanc *claris Soleam* Polonia *factis*
Illustrata fuit. *Sol ea*, non *Solea est.*

4. *Sol ea*, non *Solea* est: *Turcū* dū Kostka *cecidit,*
Sole fuit certè Turcica *Luna minor.*

5. *Kostkia Gens* sēper per *dura* per *aspera* victrix
Ivit. Quid mirum? Gens *soleata* fuit.

De Paterno D. Stanislai Insigni. in Soleas.

Tot *Soleas Lechica*, carpebat Zoilus, *oræ;*
Congrua carpenti sed data causa fuit.
Tot *Soleas* cur carpis? ait *Polonia*; jure hîc
Cùm tot sint *Equites*, sunt quoque tot *soleæ.*

Ad Poloniam.

Cùm soleas toties *Soleas* impingere *Lunæ;*
Eclipses multas *Terra Polona* paris.

NB. Mathematici locum in cœlo, ubi luna eclipsatur, soleæ similitudine exprimunt.

In

In Pennas.

Esse vides *geminas* Kostkis in agalmate *pennas*:
Kostkæ (quid mirũ?) semper ad *alta volant*.

Aliud:

Kostkanum tollunt *Pennæ* super æthera *nomen*:
Esse quis *has* credat, *struthio lente* tuas?
Esse tamen certum est: sed *lentos struthio mores*,
Quàm daret has *pennas*, exuit antè, *suos*.

Tertium.

Omnia cum *fortis* Gens Kostkia *concoquat*; illi,
Qui pennam, & *stomachum* Struthio, credo, (dedit.

Quartum.

Kostkia Gens apices quidni conscendat *honorum*?
Huc *Pennæq;* ferunt, huc *Soleæque*; ferunt.

In Sagittam.

Unde venit superas demissa *sagitta* per auras?
Cœlicus in Kostkas *spicula* mittit *Amor*.
In Kostkas *Cœlestis Amor* si *spicula* mittat;
Non miror *mortem*, Kostka Beate, *tuam*.*

* *Stanislaus præ amore mortuus.*

In Cruces Kostkanas.

Vera nimis *Crux* est, Kostkanum quam dat a-
Fatalis Turcis sæpius illa fuit. (galma:

2.

Vicit in hoc signo persæpe Polonia Turcum:

 Germa-

Germanas, *Lechicas* dixeris esse *cruces*.*
* *Germanæ*, quia *veræ*.

De Materno D. Stanislai Insigni.

Astra! *Cleonæum* depellite sede *Leonem*.
Kristkæus vestro dignior axe *Leo* est.
Nempe fuit *Patriæ Vastator* sæpius ille;
Perpetuus *Patriæ Tutor* at iste fuit.

De Insigni D. Stanislai adoptivo.

Gentiléisq; *Cruces*, gentilitióisq; *Leones*,
Teláque cum *Soleis* Kostka valere jubet.
Jussor Kostka sapit: per *nobile Nomen* Jesu
Signum sat *plenæ Nobilitatis* habet.

Vita D. STANISLAI.

D. Stanislaum Kostkam (si non Angelum, adolescentem certè Angelicum) Polonia, tam Sanctorum, quàm Heroum Patria, Anno Jubilæo 1550. terris dedit, an ostendit? Tanto partui clarissimum prælusit miraculum, quando gravidæ in matris carne, divinâ expressum manu, SS. Jesu nomen purpureo colore refulsit. Crediderim Stanislaum jamtum ab Deo *hoc signo* ad *Societatem* Jesu vocatum, ut cum vate sacro olim canere posset: *Dominus ab utero vocavit me*. Isaiæ 49. 1. In genus si inquiras; *Majores* habuit *maximos*, uno tamen

tamen STANISLAO, etſi adhuc *parvulo*, *minores*. Illi Poloniam ; Superum hic inferúmq; Orbem factis poſtea implevit. Parentes STANISLAO fuere ex Equeſtri Senatorióque Ordine Joannes Koſtka, & Margarita Kriska: quid mirum, ex *gemma*, & *gratia* (quàm *Joannes* ſignificat) concretum eſſe partum tam rarum, tam gratioſum? Speciale hoc *Koſtkanæ gentis* decus eſt, quod circùm graſſantibus latè Hæreſeon peſtibus, nunquam ſit infecta: decuit Stanislaum (floſculum hunc) incorruptâ ſtirpe naſci. Habet hoc etiam ad gloriam peculiare Kriskarum domus, quod perdudum domeſtico ex horto ſuo, Divum protulerit Hyacinthum, in Dominicanæ ſubinde familiæ viridaria translatum: ne tunc temporis illam defloruiſſe credas; ut quondam D. Dominico Hyacinthum, ita D. Ignatio tum Narciſſum dedit, quando dedit Stanislaum. Flori huic ut ſcias haud abfuiſſe fructum; eum protulit AUTUMNUS. Natalitia tamen dies in incerto eſt: id unum liquet tempore Octobri proximo lucem aſpexiſſe: Si conjecturæ hîc locus ſit; quæ tam pretioſo Theſauro beavit terras, aut *Fauſto*, aut *Felici* ſacram fuiſſe conjicio diem. Prasniſii dum Infans luſtralibus

aquis ad S. Adalberti tingitur, Maximo numero ad baptiſmum, utriusque ſexûs Polona confluxit Nobilitas: ad tale corpus, meritò tales congregantur Aquilæ. Tinctum ſuus continuò Patrinus, Perilluſtris Eques Andreas, Radrarowskius à baptiſterio ad aram abſtulit, ejúſq; ad pedem, humi depoſitum, quàm inſolenti, tam pio exemplo, ſolemniſſimè Deo obtulit.

O factum bene Andrea! puriorem Deo hoſtiam offerre haud poteras, quàm baptiſmo mundatam. Rectè tu quidem jam ad pedem Altaris ſic abjicis Infantem, quem vix adultum, ſecutura dies in caput Altarium elevabit, Univerſæ venerandum Eccleſiæ.

Praſniſienſe S. Adalberti templum, à Baptizato STANISLAO inclytum, furor Coſaccicus pòſt paulò funditus evertit: furorem hunc ne omnino cæcum fuiſſe exiſtimes; baptiſterio, & terræ, quam STANISLAUS attactu ſuo ſacraverat, ſolis pepercit. Sed ab Divi noſtri Infantia, ad Pueritiam faciamus gradum; quam ubi attigit, ita creſcebat puer ætate, & gratia apud Deum, & homines, ut Angelus vulgò vocitaretur; nomen quod natura inviderat, angelicis moribus aſſecutus.

Id

Id ætatis Bilinskio, adoleſcente nobili (quem doctorali pòſt epomide inſignem tam Plocienſis, quàm Pultovienſis Eccleſia ſuis numeravit in Canonicis) Ephoro, Pædagogóq; uſus, ita latinæ linguæ dedit operam, ut quamvis profecerit plurimùm, vivere tamen, quam loqui, emendatiùs, condidicerit. Nihil puer declinare libentiùs, quàm vitia; nihil perfectiùs quàm virtutes virtutibus conjugare. Artem tamen hanc, non æquè Bilinskio debet, atque Spiritui Sancto, quo uno ad pietatem Præceptore utebatur. Puer rariſſimâ formâ ſuâ, dicitur uſſiſſe multos; ſed innocente incendio. Nempe intuentium animos ad pietatem juxta, Caſtimoniámq; paſſim inflammabat. Tam caſtas flammas è pulchello, pudentiſſimóq; Stanislai vultu, ceu throno ſuo, ſpargebat illa animorum incendiaria, de qua cecinit Maro: *Gratior eſt pulchro veniens è corpore virtus.* At non ſolas in vultu flammas; etiam undas circumtuliſſe videri poſſit, quando in non uno, gliſcentia jam Veneris incendia ſolo aſpectu ſuo feliciſſimè reſtinxit. Iſtoc tamen Cæliti noſtro cum pluribus aliis fortasſis commune ſit; quod ſequitur, eſt prorſus ſingulare: Uſu-

venit, ut paternæ adhibiti menſæ, genii liberioris hoſpites ſale nonnunquam Cyprio aſpergerent, &præt extatis jocis condirent præſentes cibos, an inficerent? Id uſque eò tulit permoleſtè unà accumbens puerulus Stanislaus, ut non aure Venerem; ſed ore venena bibiſſe videretur; hinc mutare primò vultum, alienâ erubeſcere impudentiâ, ſubinde oculos cælo defigere, ſaxi inſtar immotus aliquamdiu hærere, & niſi orſam ſermonum telam temporì abrumpant hoſpites, ſubeunte deliquio, caduco in terram corpore collabi. Quâ re tandem cognitâ, parens (qui ejus in filiolum amor erat:) ſubortos exin hujus farinæ an furfuris? ſermones, continuò, aut aliò dextrè avertere, aut ſolitus eſt convivas amicè monere in tempore, amore Stanislai deſiſtant, viſuros aliàs ita puerum defigi cælo, ut capite in terra luat; parcant tenellis auribus, quas laſcivior jocus, ſi verberet, humi ſternat. O pulcrum puerulì ſtratagema; ut tela declinet cupidinis, in terram ſe abjicit! Pugilum caſtiſſimorum conſtantiam mirentur alii; equidem Stanislai lapſus plus demiror. Integra ſtaret & noſtrati juventuti pudicitia ſua, ſi ſimili caſu, ubi res

monet

monet, sæpius pulcherrimè procumberet. Sed debebatur majori jam Theatro, eximia hæc rarissimáq; Stanislai virtus, præut domesticos intra parietes, ceu post siparium, ultrà delitesceret. Proinde ætatis (quam isthactenus domi paternæ exegerat) anno tertio decimo Viennam studiorum gratiâ ablegatur, Ferdinandæo, florentissimóq; istâ tempestate seminario inserendus. Abeunti complusculi hæsere comites: Paulus frater, Bilinskius Ephorus, & famulorum ternio: At major erat virtutum comitatus. Fuit ex famulitio hoc, qui, dum postea Sacræ Minorum familiæ, natu jam grandis, adscriptus esset, domicelli sui, cùm Sanctitatem, tum miracula, non antè pleno ore commendare, quàm vivere desiit. Receptus Viennensi, non arborum; sed cultissimorum adolescentium, seminario Stanislaus, omnibus juventutis ornamentis, reliquos inter contubernales, tantùm eminuit, *Quantum lenta solent inter Viburna Cupressi.* Quidquid ab consuetis loci functionibus arbitrarii vacabat temporis, precibus id totum genuflexus consecrabat: in quibus se ita divinitatis immergebat Oceano, ut virium passim naufragium faceret, nun-

 quam

quam ſibi viſus precari fortiùs, quàm quando ſe vidit precando exhauſtum. Altisſimam, ut ſcias divinitatem; dum huic ſe ita orando immergit, ad ipſum pietatis jam evectus apicem contribulibus ſuis viſus eſt hic ſeminarii alumnus. Certè plures hoc loci, tantum præclarisſimæ de Stanislao hauſere opinionis, unde totâ retro vitâ in laudes ejuſdem (quoties ſe daret occaſio) plenis pasſim exundârunt alveis. Nec intra laudes res ſtetit: fuerunt, quibus Viennenſis contubernii vel ſola memoria eximiam quandam fiduciam adæque, atque venerationem, erga Stanislaum accenderit. Te ego, Te Eminentisſime E. R. Cardinalis, ArchiEpiſcope Geſnenſis, Regni Polonici Primas, & Petricoviæ Princeps Bernarde Maciejovi appello, cui ſuâ, vel mutus Stanislaus, jam inde ab Viennenſi Condiſcipulatu ita perſuaſit Sanctitatem; ut defuncti, ſepulchrum pretioſis exornare anathematis, invocare qatrocinia, circumferre ſacra Lipſana, urgere Apotheoſin non dubitâris, magìs Patrii hujus domeſticíq; Sancti, quàm Larium & Penatum tutelæ confiſus. Nec Te ego hic præteribo ejuſdem Archiepiſcopalis Inſulæ illuſtre decus

Joan-

Joannes Farnovi, cui se talem olim Contubernalem probârat Stanislaus, ut extremæ lineæ admotus, Sacras defuncti exuvias, moribundo pectori imponi jusseris, scutum (ut quidem tute interpretabaris) contra Orcinos insultus fortissimum; cuiq; in illo mortis confinio, Stanislai identidem nomine, ceu certissimâ felicis æternitatis tesserâ, uti adhibuit. Tantis Archiepiscopis, non possum, quin Aulæ Cæsareæ Prælatum domesticum, Mariæ Imperatricis Eleemosynarium, Antonium de Meier subjungam, feliciorem se ab Stanislai (quem pro Sancto jam tum omnibus fuisse testis est gravissimus) præterito convictu, quam à præsentibus Aulæ honoribus ratum. Atque has ex seminario, ceu uberrimo campo, pauculas Kostkanarum laudum spicas collegisse, in præsens sufficiat. Cæterùm non licuit diu hoc Paradiso perfrui, nostro, innocentioriq; Adamo; repetente namq; Maximiliano Cæsare, ANNI 1565. Mense Martio ædes illas, quas Ferdinandus precariò tantisper concesserat, dissolutum est seminarium. diffluxere tum alii aliò; Ad forum Boarium, aut potius ad macellum Agnus, ad Hæresis domicilium Sanctitas, ad ædes

ædes Senatoris Kimberkeri, hominis heterodoxi Stanislaus, abripitur, fraternâ constrictus potestate. Nempe (vellet nollet) sequendum erat, quo abduceret Paulus frater; ob ætatem, quâ præibat, ducis jam usurpans officium. Conductâ amplâ ædium parte, ut habitare, ita & vivere, statim laxiùs Stanislaus; & non tam imperium, quàm tyrannidem in fratrem natu minorem continuò auspicari: nimirum aberant jam seminarii modimperatores, quorum præsens authoritas eatenus frœni vice fuerat. Sed premi potuit, opprimi non potuit Stanislai Virtus, quæ, quò fraternis odiis ardentiùs flagrare, hòc novo in hospitio nitidiùs lucere cœpit. Certè non alibi clariùs, quàm in hæretico hoc domicilio, Stanislai sæcularis emicuit pietas. An quia contraria juxta se posita è philosophorum placitis clariùs elucescunt? Pietatem hanc simul ardentissimam fuisse ne dubites; mirum in modum ussit domesticos, Paulum maximè; eam propter iracundiæ flammis correptum sæpissimè. Frustra tamen fuisti Paule, quoties verberibus perpium in fratrem depluisti. Hoc imbrè namq; non tam extinxisti, quàm auxisti ardentem

fratris

fratris pietatem, domeſticæ inclementiæ ut obſeptam, ſic intenſam Antiperiſtaſi. De hac pietate audire Sacchinum ſi juvat, *ad precandum* (ait ille de Stanislao) *Deum, fruendúmque diu beatorum congreſſu, interdiu in ædium ſecedebat abdita: noctu vero poſtquam omnes ſopor oppreſſiſſet, tacitè ſurgebat è lectulo, ac poſitis humi genibus, in alto illo rerum omnium ſilentio, & faventibus tenebris, divinis vocibus, radiisq; vacabat.* Stanislai pietatem, Ignem perpetuum dixeris, noctes diéſq; in ſacra pectoris ara gliſcentem. Sed non ita domeſticis potuit intercludi parietibus hic ignis, quin identidem in templa ſacerrimis exundaret incendiis: ubi locorum ſi vidiſſes Stanislaum, adeſſe juraſſes Seraphinum; tantis ille correptus ardoribus, tam angelicâ compoſitus modeſtiâ, divinis intererat. Quoties ſacri æſtus ecſtaticam animam in Deum, quoties corpus, terrenæ nil fæcis habens, in aerem rapuerunt! Pyrobolum non injuriâ appelles Stanislaum, quem ſuus toties ignis in ſublime excuſſit. Sed nunquam juvenis efferbuit magis, quàm quoties ad focum acceſſit Euchariſticum, Deo noſtro, qui ignis eſt, propiùs admotus: nec id mirum; Materiem eò afferebat divinis incen-

incendiis aptissimam, corpus scilicet & animam pridiano jejunio exsiccata. Idem quoque, nec parùm, incalescere visus est, quoties eminus Deum Eucharisticum (quod indies ante & pòst ludum litterarium sæpiusculè factitabat) adorabundus salutaret; Experientiâ edoctus, Orbem Eucharisticum, piis animabus vitrum esse Encausticum. Deo tamen soli ne credas æstuâsse; castissimè quoque arsit in Virginem; Dei, omniúmq; Virginum Matrem. Innocentissimorum ignium horum luculentissima hæc è Sacchino accipe indicia: *Incredibili erga Dei parentem observantiâ ferebatur, eóque nunquam in ejus manibus vidisses nisi rosarium, vel pios libellos, qui precationes aut laudes parentis sanctissimæ continerent.* Nec raròin calamum parthenii hi ebullierunt ignes; in exercitationibus quippe Scholasticis Stanislaus Sacchino teste *pia tractabat argumenta, ac plurimùm Cæli Reginæ laudes.* Sapuisti Stanislae! non aliis è locis, aptiùs, scribendi dicendíq; argumenta, peti poterant, quàm è *Sede Sapientiæ.* Marianas laudes abunde sufficiebat è Manuali suo Fridericus Nausea, Episcopus Viennensis, præcipua Virginis festa, quàm docto, tam pio calamo, pertractans.

Hujus

Hujus chartâ, ſuos ignes alebat indies Stanislaus, ſolitus *Nauſeam* ſine nauſea *Nocturnâ verſare manu, verſare diurnâ.* Cæterùm ex ingenti illo, jugíq; Koſtkanæ pietatis incendio in reliquos Cælites, & cum primis in D. Barbaram (quam ſibi ſpeciali quodam cultu venerandam ſelegerat) ſcintillæ, nec raræ, nec modicæ cadebant. Teſtis eſt juratus, Laurentius Pacifici, plùs quam per annum Stanislao ab ſervitiis, Dominum ſuum in precibus, aut libris aſceticis ſemper, in ſtudiis profanis nunquam ab ſe deprehenſum. Quâ tamen devotione, uſque adeo profectum in literis non impedivit; ut è diverſo, qui principio non admodum eminebat inter condiſcipulos, paulò pòſt cum jam Rhetoricæ operam daret, primorum Principes doctrinâ ſit non aſſecutus; ſed prætergreſſus. Documento futurus juventuti Scholaſticæ, quam utilis ſit ad omnia Pietas. De cæteris Studioſi Viennenſis virtutibus, quid dicam? Caſtimoniam, præcipuum adoleſcentiæ decus, ſpectas? illibatæ puritatis candorem tam tenerè adamavit, ut vel umbram peccati, ubi erat, deteſtatus; ubi non erat, veritus, turpium odio, ſæpe nec honeſta admitteret. Arcem

animæ eo communierat apparatu, ut quà intraret, non inveniret juratus innocentiæ hostis. Et quâ parte, quibúsve armis irrupisset? per oculos? at pepigerat cum oculis, ad quos pervigil excubabat modestia, fœdus æternum Stanislaus, nunquam nisi palpebris verecundè demissis prodire solitus; quanquam, & publico, cum sciret malè illi creditam juvenilem formam, ut maximè potuit, abstinuerit; haud ignarus, non secus in hac cum hostibus Tartareis pugna, atque in alia qualibet, quemq; ut magis pateat, ita magis ab inimicis peti. Nec ab auribus periculum: Sepserat illas spinis Timoris Domini. Quid? quod id jam præclarissimis exemplis ab sociis impetraverat, ut nil proloqui præsente tentarent Stanislao, quod non auderent inspectante moderatore. Renatum in ea tempora, aut Edmundum, aut Bernardinum aliquem putes, qui liberiorem aliàs juventutem, præsentiâ suâ, ceu habenâ, intra gyrum pudicitiæ contineret. Nec juvenilis negotium facessebat sanguis: illum namque vigiliis, quibus illustrabat noctes; illum jejuniis, quibus pascebat temperantiam, illum frequenti cruentaq; flagellorum Phlebotomiâ

(ut ſpes erat) à Commendono, viro tanto; Auſtriacæ Provinciæ commendandus. Nimirum turpe rebatur Stanislaus, quibus cæteri in Principum aulas nituntur præſidiis, eadem non admoveri, ut ſupremi Numinis in Societatem, familiaritatémq; penetres. Sed fruſtra hæc omnia: quo minus in Societatem cooptaretur Stanislaus, obſtabant parentes, quidvis filio, quàm Societatem permiſſuri: Obſtabat nupera tempeſtas, Viennæ ob receptos (neſcio quos) mota Novitios. Nempe non abs re prætimebant Patres Auſtriaci, ne, qualis ab Auſtro nuper, talis jam nunc ab Aquilone incumberet Societati turbo; Stanislaum ea propter (quidquid urgeret) parentum ingratiis nullo pacto admiſſuri. Quid faciat ſacrum inter & ſaxum conſtitutus juvenis? cum nullum ferme ſit præſtantium facinorum conſilium, quod non videatur præcipiti proximum, Authore Patre Antonio, Magni nominis Concionatore, fugá capeſſit, glorioſus mundi transfuga, rimulam alibi (ubi ubi tandem) intrandæ Societatis (cui ſe voti religione jamtum obligaverat) ſollicitè inveſtigaturus. Viennâ igitur ruſticana in veſte, nobilis exul paulò ante ineun-

tem Auguſtum ANNI 1567. Deo duce, Angelo comite, cæterà ſolus, ſuâ ſat dives paupertate, in iter ſe dat, pluribus ſignandum miraculis. Retraxiſſet è fuga, celeribus equis, authoréq; veneficâ inſecutus, cum fratre hoſpes; niſi hominibus tenebras, equis turbationem objeciſſet Deus, docturus quod non ſit conſilium adverſus altiſſimum. Primo die confecta in itinere milliaria omnino quinquagena, ne mirereris; Amor addidit alas. Renovatum eſt in Stanislao, aquis (ubi pontes deerant) impunè inambulante, Petri miraculũ; quidni? cum Petro ad Chriſtum currebat; Tantò quam Petrus felicior, quantò fidentior. Viatori tam Sancto, cibum Viatorum, ipſi iteratò præbuerunt Angeli, panem tum maximè Angelicum; cum &, ab Angelis, & Angelo, daretur. Auguſtam Vindelicorum primò, dein Dilingam Stanislaus tenuit, ubi in florentiſſimo S. Hieronymi Collegio convictoribus ad menſam inſerviens, ut luci ſuæ latebras quæreret, ad immundas etiam culinæ ſordes ſeſe abjecit, orbi futurus obſcurior, ni ab ipſa fuligine ſplendoris incrementum traxiſſet. Inde à Venerabili Patre Petro Caniſio Romam Miſſum,

S. Fran-

miâ (quam concubiâ plerumq; nocte, post pauculas somni horulas, postquam è lecto se corripuisset, & tenellum in formam crucis expandisset corpusculum, pia inclementia obibat) ita attemperavit; ut licet ad omnem hilaritatis perinde, atque sanitatis speciem in vultu sese lætissimè diffunderet, in illicita tamen nunquã efferbuerit incendia. His ornamentis præter alia decora, adde nunc juvenis tenerrimi patientiam, plusquam Spartanam. Certè fuit illi domus Kimbergeriana non miraculorum solum; sed & patientiæ nobile Gymnasium; ut eam, tot victoriis, prodigiisq; illustrem, postquam sub Catholicorum dominium transiit, præcipuâ quadam in veneratione habendam sibi, rectissimè duxerit posteritas. Cæterùm non alius hîc uberiorem patiendi materiem præbuit, quam Paulus, frater an hostis? fraternæ certè virtutis impugnator, atque persecutor acerrimus. Nimirum gravissima illi Stanislai gravitas, immodica modestia, intemperans erat temperantia: illum fraternæ turbabant vigiliæ, illum aliena macerabant jejunia, illum cultus vestium in fratre incultior in-

dies offendebat: illi illa fratris solitudo, illa sensuum custodia, illa precum assiduitas, tota denique vivendi ratio, tam ad virtutem composita, tam suæ vanitati opposita, & sudes (quod ajunt) in oculis; & unguis quotidiè erat in ulcere. Hoc ergo vitæ genus, ut fratri invisum reddat, assiduò adrodere; hoc ut exculcet, calces in fratrem non raro impingere; hoc ut extundat, crebrò innocentem fustuario contundere Paulus; heterodoxo hospite, & moderatore Bilinskio, si non in verbera, certè in verba, sannásque strenuè conspirantibus. Adeo *Inimici hominis domestici ejus*! Tenuit domesticum hoc Martyriũ duos, & quod ultra est, annos: ab Anni 1565. Mense Martio, ad usque Augustum Anni 1567. Nil aliud tamen inclementia verba, nil aliud inclementiora verbera, toties repetita, extuderunt è patientissimo juvene, quam illam, & vapulante Stanislao, & cedris dignissimam sententiam: *Tunde sis, ut lubitum est; constantiam non extundes. Cælo equidem, non Terræ, non Terrenis me natum scio; proinde illi; non hisce vivam.* Citharam Stanislaum dixeris, tum suavissimè, dum percutitur, resonantem. Sed præ verbis facta admirare: ut primum exsæ-

exſævierat Ulmea plagoſi fratris tempeſtas, tum continuò Stanislaus fraterna odia omni officiorum genere, ſanctiſſimè vindicare, obſervare hominem, eidem obſecundare in tempore, id demum ſtudere aſſiduè, ut Paulo minimè diſpliceret: beneficiis, non plagis mactatum jurares, quoties à fratre vapulavit; ictibus, ceu ſtimulis, ad reddendam gratiam inſtigatus. Eum continuò à verberibus ad expurgandos Pauli calceos humillimè, ſuâq; ſpontè abjectum, cui, quàm publicis tabulis, crederemus? famulus videri poterat, niſi quod, ut charitatem fratrum, ita ſedulitatem anteibat ſervorum. Quò non ſyncera virtus excelſas abjicis animas! Dum hæc aguntur, an tolerantur? Sacer Religioſæ vocationis ignis tam ſancto pectori illabitur divinitus: quem tamen, dum pudentiùs, quam prudentius celat, uritur; dum Confeſſario, Patri Nicolao Donio S. J. ſui victor aperit, cœleſtibus Stanislaus deliciis circumfluit, expertus, quale manna detur vincenti. Sed inter quotidianas, quà aliunde obortas, quà ſpontè ſuſceptas, afflictationes, non perinde corporis, atque mentis robur, diu inconcuſſum ſtetit tenello Athletæ: Labitur in

 morbum

morbum Stanislaus, ut virtus & in infirmitate perficiatur, & miraculis inclarescat. Morbo correptum Prædator stygius Molossi specie aggreditur; sed risit imbelles Tenebrionis iras lucis filius, & crucis signo avernale monstrum fugavit. Dæmonis Triumphatorem, ut olim in deserto Christum, ministrantes exceperunt Angeli; quorum obsequiosis manibus divâ procurante Barbarâ, pane de cælo præstito refici meruit, pòst paulò ipsam infirmorum salutem Mariam conspicuam habet; quæ suum ægro Jesulum tenerrimè dissuaviandum in ulnas tradit. Ad vitæ, quam Virgo attulit, præsentiâ, fugit illico jam jam propinqua mors, & integerrimo corpori integra rursum sanitas rediit. Ex eo tempore nil æquè Stanislaus, ac Societatem Jesu in votis habuit, ad quam disertis à Deipara verbis vocatus, ceu magnes suam Cynosuram perpetuò respexit. Admissionem ut extorqueret, omnem admovit machinam, piè importunus. Cum precibus nil actum videret, addidit lacrymas, queis pectus Provincialis Magii emolliret. Imò ne quid intentatum relinqueret, post alios, ipsum quoque Legatū Pontificium in partem traxit, efficacissimè

(ut

abundantiam Cælo defudisse creditur, quæ, ut quondam Tarsensem, ita & hunc Paulum, in virũ planè alium, felici Metamorphosi derepente transformârit. Certè qui superstite Stanislao fuerat vanitatis, illo ad superos translato, veræ pœnitentiæ, & cumprimis Humilitatis Christianæ speculum, velociter evasit; eóq; celerrimis in perfectionis stadio curriculis, brevi progressus est, ut post divisũ hæreditatis (quam amplissimam possederat) inter pauperes assem, póstq; exactam aliquamdiu in nosocomio, in assiduis jejuniorum, precum, aliarúmque virtutum exercitiis vitam, seipsum denique (ut absolutum faceret Divinitati holocaustum) in Militante Societate Jesu totum obtulerit; quam tamen antequam reapse ingrederetur, in triumphantem felici commutatione receptus est; mortuus cum fama Sanctitatis Petricoviæ in Polonia; paaperéq; vitâ abunde testatus, quam ex vero inscribi jusserit Prasnisiensi Sepulchro suo, illud cedris dignissimum: *Non erubesco evangelium*. Ad defuncti Pauli corpus certatim universa confluxit nobilitas, quod sanctitatem quandam spirâsse, & acerrimos ad pietatem stimulos intuentium animis sub-

didisse

didisse testatissimum est. Mortem itaq; Stanislai, Pauli vitam non injuria dixeris. Cæterùm Thavmaturgam hanc Cælitis Stanislai, in animos potentiam, quanti non alii præter Paulum felicissimè sunt experti! Experti sunt præprimis apud Sacchinum, cùm Religiosus ille, cui rebellantis carnis perdiu exagitato molestiis, non aliunde, quàm ab Angelico Stanislao carnis, mentísq; puritatem licuit impetrare, tum Laicus iste, qui & scrupulis, & blasphemiæ spiritu, tantùm non ad insaniam adactus; dum tentatis frustra aliis mediis, votum in honorem Divi Stanislai concipit, continuò summa animi serenitate perfusus, advertit, voti se felicissimè damnatum. Experti sunt etiam Oborskii duo, Stanislaus alter, alter Nicolaus, ambo Societatis nostræ sacerdotes, Poloni ambo; quando Divus noster, quà ad Stanislaum insanabili morbo correptum, unà cum S. Ignatio invisens; quà Nicolao ad aram facienti cælestem quandam è sepulchro suo obhalans odorem, utrúmq; immenso quodam complevit gaudio. Experti sunt denique innumeri alii, quibus invocatô Stanislaô, aut mentis fracta pertinacia; aut colliquefacta est glacies; aut admissorum

repen-

repentinus injectus dolor, aut piæ obortæ ſunt lacrymæ: vel quibus ſuavior pietatis infuſus ſenſus, vel quibus Religioſæ vitæ immiſſi igniculi, vel quibus quarumvis denique virtutum repente afflatus eſt amor. Sed occultiora hæc ſunt, quippe quæ in animos ceciderunt, miracula; illa nunc, quæ quoquo modo in corpus exercita ſunt, ſummis (quod ajunt) labris delibemus; & cumprimis tredecim illa, quorum expreſſiùs meminerunt publicæ Canonizationis tabulæ, ordine ſuo, ſuccinctè referamus.

I. Agmen inter illa ducit repentina, & oppidò quàm prodigioſa Annæ Theodoræ de Ligneville curatio: Illuſtris hæc inter Gallos Matrona, in ipſo ætatis flore (annos enim nata erat non plus quatuor ſupra vicenos) diro aliquo veneficio affecta, inſanabili morbo in menſem jam quartum decimum contabeſcebat: Atropha exaruerant crura, obriguerant muſculi, extenuatos, contractóſq; nervos omnis motus uſque eò deſtituerat, ut, ſi quò commeandum foret, id geſtatoria abſq; ſella fieri nequiret; jamq; omnis ſpes priſtinæ valetudinis aliquando recuperandæ, omnino decollaverat, medicis malum omne ad venefi-

neficium (in quo debellando ars sua frustra desudet) propalam referentibus. Sub id tempus fortè fortunà redux ex Urbe, Germanus ægræ frater, sacerdos idem, & Religiosus, tradidit ei formis excusam Stanislai imaginem, recentibus Beati Miraculis coronatam, unáq; novi hujus Cælitis invocationem persuadet. Anna proximo die dominico, cum se deferri jussisset in templum, secundùm sacrum, vehementi incitatur instinctu, ut ab Deo per merita Beati illius, adeo illi grati adolescentis, valetudinem roget. Hic impulsus unà cum impetrandi fiducia, quò sacrificium ulteriùs procedebat, hòc stimulabat acriùs, crescebátq; ardor animi, quoad tandem, suum coram Domino cor totum effudit, per beati illius gratiam, ad ejusdémq; gloriam, rogans suorum, ut tandem cruciatuum (qui nullum modum, nullum finem habebant) Misericordiâ tangeretur. Rem miram! momento eodem revirescere se quodammodo sensit, insinuari toto corpore, fundíq; per membra suavem quasi succum, & ad demortua crura delabi, vitámq; eis, ac vigorem refundere tantum, non solum ut continuò sensus doloris omnis evanesceret; sed & protinus

nus

S. Franciſcus Borgia in Societatem tot votis ambitam recepit. Tyrocinium vix ingreſſus, adeo omnium in ſe uno virtutes collectas exhibuit, ut dignum fieret Deo, Angelis, & hominibus ſpectaculum. Tam raræ ſanctitati, rari quoque è cælo reſpondebant favores; unde deliciarum Cæleſtium rore plenus, ſæpius extra ſe, atque in Deum rapiebatur; cujus vehementi amore exæſtuans, ne ſuis impar incendiis, omnino extingueretur, humida pectori lintea admittere coactus eſt, Pyrobolo ſimillimus, etiam dum aquis innatat, flammas eructanti. Tandem cum in tenera etiamnum ætate, æternitati, jam videretur maturus, anno ætatis undeviceſimo, vix inchoato; Æræ Chriſtianæ 1568, eodemmet, quo B. Aloyſius editus eſt, decimo tyrocinii menſe, non tam febris, quàm divini amoris vi, ſolutus à corpore, ipſo Virginis (quæ cum Angelis ultima in lucta ei apparuiſſe creditur) Aſſumptæ feſto, ſub matutinum crepuſculũ, terris moritur, cælis oritur. Ubi ſuæ necdum Poloniæ immemor, acceptam ab illa vitam toties laboranti reddidit, quoties Ottomannicæ lunæ cruentam Eclipſin induxit. Nec ſoli duntaxat propitius, Patriæ, omnium ſibi

ſuppli-

ſupplicum votis benignus annuit, exquiſitæ ſanctitatis famâ, & gloriâ miraculorum (quæ jam jam delibabimus) ubique coruſcante, toto jam orbe notiſſimus.

Poſthuma D. STANISLAI Miracula.

MUltis vivus, plurimis functus inclaruit Miraculis, parvus Adoleſcens, Magnus Sanctus, STANISLAUS KOSTKA. Quæ, quàm authentica ſint, inde colligas, quod jam pridem in tribus duntaxat (Poſnanienſi nimirum, Leopolitano, & Preſmilienſi) proceſſibus, juridica teſtimonia, omnino trecenta viginti duo, ſuper his depoſita enumerârit P. Daniel Bartholi, author uſquequaque graviſſimus. Nos hîc illa, quæ à morte acciderunt, tractata ab aliis diffuſiùs, breviſſimum cogemus in compendium. Atque ut à Miraculis, quæ animum concernunt, ceu præcipuis, carpamus initium; primo ſanè loco memoranda venit prodigioſa Pauli fratris converſio: Nimirum inter Cælites receptus Stanislaus, ut illatas olim à fratre injurias, ultione, quâ Sancti ſolent, vindicaret; eam è præſente Divinitatis fonte efficacium gratiarum abun-

nus re divinâ peractâ, ſuis pedibus domum, & nullo nitens adminiculo perquam expeditè redierit. Adeò non claudo pede ſuppetias venit, invocatus à clauda Stanislaus.

2. Annæ tam prodigiosè curatæ ſuccedat ſeptennis puer, mirabiliùs in vitam revocatus. Puero huic nomen erat Stanislao Wolff, quem infauſtiore lapſu in puteum præcipitatum, poſt ſemihoræ ſpatium aquis jam (qui ſuffocatorum mos eſt) ſupernatantem, extinctúmq; extraxit infelix mater, non ſine fœmineo ululatu: quo excita univerſa accurrit vicinia, lividum, rigidum, gelidum, exanimúmq; cadaver multis complorans; Interea tamen loci, per horam integram haud deſtitit triſtiſſima Mater filiolum ſuum in omnem verſare partem, tentare arteriam, explorare animam, & quavis arte, num quæ ſuperſtitis vitæ ſuperent indicia, ſollicitè experiri; ſed fruſtra fuit toto illo tempore; poſt quod commodùm affuit ſtudioſus, cui nomen Auguſtini: occlamat ille deſperanti jam Matri; ſuſcitandi pueri ſpem maximam ſitam eſſe in populari, novóq; Cælite Stanislao, eò confugiat, illi commendet extinctum &c. paruit rectè monenti femina, devolvitur

con-

continuò in genua, & in hæc, quàm ore, tam corde, erumpit ſuſpiria: *Succurre afflictæ, ſuccurre Beate Stanislae!* vix dixerat, quando (mirabile viſu) extendere primò manum redivivus filius, mox vocem paulatim edere, ſubinde omni ſenſu reducem vitam teſtari, ne tantillum tamen aquæ (utris licet inſtar intumuiſſet) tam ante, quàm poſt ſuſcitationem, quod admirationem omnem ſuperat, refundere. Certè caſum hunc non orthodoxi ſoli; ſed & gemini è Lutheri ſecta Medici ſupra naturæ vires poſuere, Judices tantò minùs ſuſpecti, quantò aliàs & à miraculis, & à Sanctorum cultu abhorrentiores,

3. Tertium ſibi locum vendicat quinquennis ille è Polonia puer, qui vitam, dum natandi rudis, balneum cum ſocio ingreditur, poſuerat inter aquas; in quarum profundo, totâ facie lato immersâ, jam horam jacuerat, antequam ab accito ſartore, urinandi gnaro, exanimis extraheretur. Vix rumor ſubmerſi filii, ad aures matris percrebuerat, quando illa continuò ad funus properare: ſtitit tamen tantiſper, properantem Beati Stanislai ſacellum, quod per iter occurrebat: nimirum ut illuc ventum, inſpirari ſibi ſenſit an-

xia

xia mater, ut defunctum filium suum Cæliti huic afferat, offerátq; in vitam restituendū; Quare in genua procumbit, spondétq; quantocyus exanimem (si opus fuerit) filium oblatum iri: Post hæc tantillam compensatura moram, citatis itineribus ad funus avolat, venit, videt cadaver, subindéq; intimis commota visceribus, multísque infusa lacrymis, mœstùm exclamat; *O te infelicißimam prolem, in matris natam cruciatum, quantis me casibus concutis!* ad quæ verba defunctus pusio è vestigio in pedes se erigit, matrémq; his verbis affatur: *Domina mater jam ampliùs non vadam illuc.* Dixerat, & tantillo spatio, quo orationem dominicam decurras, integerrimè sibi restituitur; matre non aliò, quàm ad B. Stanislaum tam admirandam referente anastasin.

4. Non absimile est, quod A. 1621. in Januario, filio decenni Martini civis, & chirurgi Posnaniensis, hominis hæretici, sub glaciem lapso evenit: subterlabentium hunc aquarum vis passus circiter 250. abstulerat, tandémq; summo impetu in volubiles Molendini rotas ita impegerat, ut misellum corpusculum, rotarum unam, cum hanc & trabem in-

ter, hæreret medium, rapaciſſimo in curſu actutum ſtiterit, diris haud dubiè modis interpreſſum. Quando tandem poſt tres ipſas horas in aquis exactas affuit, qui cadaver extraheret, ab omnibus, ipſóq; urbis præcipuo medico Joanne Chroſneroski jam conclamatú. Commodùm inter reliquos ſpectantes aderat noſtro è cœtu Chriſtophorus Chizaſteroskius, qui iſtoc rerum in articulo ad B. Stanislaum (quidquid alii aliò ſpectarent) recurrendum præſenti multitudini ſuaſit, perſuasítque; nec antè unà cum præſentibus orare deſtitit, quàm vitam à Cælite exorâſſet, puero gemitum ſubinde, & ſuſpiria, certa reſtitutæ vitæ indicia, edente. Nec ultrà, quam ſemihorulæ ſpatium fuit, quando redivivus puer hæretico Patri ex integro ſanus, eſt reſtitutus. Quo miraculo perpulſæ, ad Sacra Romana tranſiere ſorores tergeminæ; Patre tamen (etſi exin filium Religioni Catholicæ permitteret, & prodigioſum beneficium appensâ ad imaginem D. Stanislai tabellâ argenteâ aliquouſque gratus, agnoſceret) ſua in Hæreſi obſtinato. Atque hæc de functis, à morte revocatis; ad vivos à morte præpropera præſervatos in præſenti deſcendamus:

5. Hos

5. Hos inter Principem meretur locum Adm̃. R. Pater Andreas Faustus Unikowskius Ordinis S. Benedicti, Cænobii Koscelnaviensis prope Calissium Prælatus; qui post 7. septimanarum malignam febrim ab duobus Medicis jam depositus, supremóq; inunctus erat agoni; quando in mentem venit mittere Calissium, qui in templo Societatis Jesu ab D. Stanislao sanitatem efflagitent. Ivere P. Sylvester Lampartowitz, & Romanus Kwasinowski, necdum sacris initiatus: & ecce dum ministrante Romano, ad aram facit Sylvester, sentit derepente se divinitus convaluisse Prælatus; lecto exilit, conclamat famulos, fratrésque; & vestes poscit. Ut accursum fuit, cum nemo non delirare ægrum crederet, suadent pro se quisque, & cumprimis P. Prior, lecto se, quietiq; reddat, mortem cæteroquin acceleraturus. Quibus Præsul: *Equidem (qua Dei gratia est)* plenè convalui, date vestes, ut abeam condignas grates actum. Tum Prior: *& unde, amabo, isthæc tam subitaria sanitas? ab Deo* (replicuit Antistes) *& ab D. Stanislao Kostka, ad quem misi Calissium Sacri offerendi gratiâ.* Subinde rogat Priorem, mittat quem ad templum duobus

 circiter

circiter ſtadiis à Cænobio diſſitum Miſſæ Eucharisticæ dicundæ gratiâ: Convenítq; è veſtigio, ut iret Prior, lecturus; comitaretur Prælatus pedes, auditurus ſacrum iſtoc: vix attigerunt cœmeterium præſtitutæ Eccesiæ, quando utrumq; Medicum obvium habent, viſo Prælato (quem jam obiiſſe rebantur) non parùm attonitum; ſeq; (ut in ſubitis caſibus ab ſtupentibus fieri amat) ſigno crucis præmunientem cum dicto: veſtrámne hic coràm Reverentiam, an Phaſma conſpicamur? quando: *Ego Ego ſum, & non alius*, repoſuit Prælatus, *ite, ſultis, mecum, & gratias agite*; dúmq; à quo perſanatus ſit, percontantur hi; *non vos ſanè*, reſpondit Antiſtes; *ſed Deus Divúſq; Stanislaus Koſtka momento, tam periculoſum morbum diſcuſſit*. Ivit ergo ad templum cum Medicis Prælatus, ſacrum audiit, gratias, quas potuit maximas, Deo, Divóq; redhibuit, domum pedes, ut venerat, rediit; cibo ſe, potúq; refecit, haud ſanè aliter, atq; ſi morbo nunquam laborâſſet. Triduo poſt cum argentea Tabella (quòd hæc celerius confieri nequiret) ipſe Caliſſium excurrit, eámq; ad aram D. Stanislai; poſtquam ibi litârat, voti reus ſuſpendit, futurum, ut memoris

moris

moris animi, sic tanti miraculi perpetuum monimentum. Prodigio huic certat quod sequitur:

6. Dominus Montelupi, vir claris ortus natalibus, ab intercutaneo ulcere, acuminato renum calculo, & plurium mensium jugi febri, post tria florenorum millia in medicos medicásq; potiones nequicquam impensa, eò jam redactus erat, ut ultimum trahere halitum plerísq; omnibus videretur: frigebat jam corpus mortuali infusum sudore; eóq; ventum erat, ut æger nec alloquentes perciperet, nec videret præsentes. Turbæ lecto circumfusæ intererat ægri frater, Valerianus Montelupi, qui pro sanitate dilectissimi sui Caroli ad D. Stanislaum concepit votum: interea temporis sacrum affertur viaticum, præbetúrq; pro ablutione aqua, immersis D. Stanislai reliquiis consecrata. Postquæ reliquias ipsas, qui viaticum porrexerat, moribundo applicat, P. Nicolaus Oborski S. J. quando (ô prodigiũ!) gravi veluti lethargo solutus, aperire oculos, mox clarâ, distinctâque voce Carolus exclamare: Deus bone! ubi sum gentium? quid me agitur? editóq; sub hæc, tanquam, si quid in-

tus rumperetur, ingenti ſtrepitu, identidem ad levandam alvum urgetur, ex integro poſt paulò convaliturus.

7. Et flammæ D. Stanislai illuſtravere potentiam: Anno 1623. exuſto jam ſuburbio, victor ignis Leopoli imminebat. Vix anxia civitas Stanislao Patrono ſuo, procubuerat ſupplex, quando apparuit ille ſupra urbis Muros in veſtitu Societatis, faciem cælo, pallium flammis obvertens: & ecce intactâ urbe non ſine luculentiſſimo miraculo, aliò ſe vertêre incendia, ab Stanislao, Potentiſſimo illo Averrunco, recedere juſſa. Dubites tamen Leopolitano ex incendio, an Lublinenſi è peſte clariùs eluxerit admiranda Stanislai benficentia:

8. Anno 1630. Lublinum publico ſe voto Stanislao devoverat, inſtitutâ ad Divi hujus honorem ſolenni ſupplicatione, ejúſq; effigie in templo Societatis propalam expoſitâ; & (ô portentum!) continuò diſcuſſa eſt biennalis peſtis: ſervati quotquot ad imaginem Divi Stanislai ſupplicatum venerant; impletáq; plurimis (quæ prolixiùs in actis invenias) urbs eſt miraculis, eò palmaribus adeò perpulſa favoribus, ut & Stanislaum

itera-

teratâ honorârit ſupplicatione, perpetuúmq; elegerit in Patronum, & argenteam Soſpitatori ſuo appenderit lampadem, & publicis tabulis jurejurando confirmatis, Peſtis Profligatorem ad perpetuam rei memoriam, ſolenniſſimè ſit profeſſa.

9. Minus fortè ſit, haud tamen hic prætereundum cenſeo, quod Annæ Peregrinowæ accidit: huic ex Paralysi annum integrum decumbenti, pedum alter, & manuum altera, ita exaruerant, ut neutrius ullus ſuperforet uſus, malo à medicis diu quidem; ſed fruſtra oppugnato. Quare ab hominibus ad Cælites, converſa præmiſſo voto, fulcróq; innixa ad Aram D. Stanislai adreptat Anna; ubi, dum hunc implorat, momento temporis plenum utriuſq; pedis, & manûs uſum poſtliminiò recuperat, paralyſi toto quantocyus corpore profligatâ.

10. Suppar huic eſt, quod Textori cuidam Matthiæ, prodigiosè evenit: hic, dum manum prorſus arefactam Jaroslavienſi Societatis in templo, D. Stanislao, quàm enixiſſimè commendat, adjecto de duobus cereis offerendis, (ſi audiatur) voto; ut vovit, convaluit.

11. Nec prodigio vacat ſubitanea Catharinæ Olinskæ curatio: ex lapillo hæc (quem trimula per puerilem levitatem ſiniſtræ auriculæ injecerat) nulla arte extrahendo, in viceſimum ſeptimum, jam annum ſurda, diris ſubinde capitis convellebatur doloribus, quò ſe vertat, unde opem petat ignara. ſub id tempus inclareſcente Caliſſii, famâ miraculorum Stanislao; dum Catharina ipſo Servatoris noſtri natalitio die, vehementiſſimâ pro more obruitur cephalalgiâ, intentis in Divi imaginem oculis, ſpei pleniſſima in hæc erumpit ſuſpiria: *Per ego te Beate Stanislae, per, quidquid acceptum eſt, rogo, atque obteſtor, lapillum, tot dolorum ſementem, auribus meis emove.* dixerat; & actutum aure excidit, cum lapillo, dolor omnis, ſurditáſque. Audiat orbis, quàm non ſurdus ſit ad Clientum ſuorum pia vota Stanislaus.

12. In externos iſthactenus, nunc in domeſticos Thavmaturgum ſpectemus, domeſticum Cælitem noſtrum: ſæviſſima Paralyſis Franciſcum Xaverium S. J. tyronem limano in tyrocinio, ab dexterâ medium, ita corripuerat; ut nullum, vel acubus puncto ſenſum faceret reliquum. Interim à medicis depoſito

posito, recuperandæ valetudinis spem magnam injecit in pervigilio B. Stanislai, ejusdem tyrocinii alumnus Joannes Franco; monuitq; ægrum, ad Indigetem, cui postera dies sit festa, certus auxilii confugiat. Morem gessit rectè suadenti Franciscus, conceptóque voto spondet (si quidem ad pristinam redeat sanitatem) reliquam in vitam quot diebus Orationem Dominicam cum Salutatione Angelica, Cælesti curatori suo, in tributum persolvere; ejusdémq; diem festum quot annis pridiano jejunio antevertere, deveneraríque. Post hæc Beati imaginem reverenti priùs osculo honoratam, capitíque impositam, primùm præmortuo brachio, subinde affecto lateri venerabundus applicat & dicto citiùs malum omne toto corpore divinitus excludit, auditus præ lætitia continuò exclamare, *Sanus sum! Sanus sum!* quæ vox ubi accivit domesticos, exiluit enimvero lecto Franciscus, & suismet indutus manibus, unà cum præsentibus, miraculi novitate attonitis, ad templum properat, debitas Sospitatori grates persolutum.

13. Ultimum, & conditione suâ, & scelere suo, meretur locum, mancipium illud Ethni-

cum Antonii Roderiquez Capitanei Limani; quod, dum vitæ tædio, luculentissimâ plagâ sibi guttur præcidisset; invocato à præsentibus piis feminis Stanislao, corporis juxta, animæq; sanitatem, lustralibus priùs aquis expiatum, à Cælite nostro impetravit.

Tredecim his Miraculis, plurium aliorum, ex processibus à Sede Apostolica firmatis excerptorum, subtexitur Catalogus sequens.

1. Joẽs Zadorski impositis ab Episcopo Posnaniensi, moribundo pectori Beati Stanislai reliquiis, extemplo convalescit. 2. Stanislaus Broniewski S. J. Leopoli ex gravi febri Apoplecticus juxta, ac Lethargicus, nullísq; pharmacis curabilis, dùm afferuntur Divi Stanislai Sacra Lipsana, excitatur derepente, & consanatur. 3. A Præmislao Rudnicki ejusdem Societatis, præ dentium dolore tantum non insaniente, ipso temporis articulo, quo superstite Stanislai dente, dolentis dentes contacti sunt, fugit omnis odontalgia, nunquam reditura. 4. Nicolaus Stognier militiæ Regiæ præfectus osse inter prandendum gutturi inhærente, propemodum internecatus, ùt vinum sumpsit, immersis Stanislai reliquis Sacrum; & os & osseam fugavit mortem. 5. Simile ossiculum strangulabat

Hedwigem Virginem; Stanislai reliquiæ liberarunt ſtrangulatam. 6. Morbus in Phreneſin egerat Petrum Szadi: appoſitæ capiti reliquiæ Stanislai, fugitivam mentem è veſtigio revocârunt. 7. Petrus Ciemjerzynski globo bombardæ trajectus, cum torrentem ſanguinis ſiſtere non poſſet; oppoſuit Stanislai imaginem, & momento ſtitit. En aggerem, & papyraceum, & tamen fortiſſimum. 8. Actum erat de Joanne Olszamoski ex maligna febri decumbente; vix in potu florem è Stanislai ſepulchro lectum hauſerat; & refloruit. 9. Nobilis vir Thomas Faszkowski Iſabellæ filiolæ ſuæ octennis, jámq; conclamatæ pectuſculo imponebat flores, Stanislai reliquiis contactos, cum dicto: *Surge ſis, & ſana eſto.* dixit, ſanavit, juſſu paterno, an ope patroni? 10. Similes flores Joanni cuidam, ſemeſtri puerulo, ex violentis raptationibus animam agenti, fugitivam ſtitêre animam. 11. Similes Nicolao Lublinenſis Conſulis filiolo, ex ulcere fauces obſidente elingui, vocem unà, ſanitatémq; reddidêre. 12. Similes, Sophiæ cujuſdam puellulæ necdum trimæ Epilepſiam; 13. Dorotheæ Albermanowæ Squinaticæ purulentum

tumulcus, 14. Ejusdem, omniúmq; domesticorum (iis, qui floribus abstinuerant, solùm exceptis) gravissimam pestem, 15. Petri denique Saluski periculosum asthma, simul ut applcati fuere, persanârunt. 16. Gaspar duarum, aut trium septimanarum pupulus; Andreæ Provagæ, Civis Jarosla viensis filius; quòd arctioribus, quàm fas erat, fasciis constrictus esset, in cunis suffocatus; simulátque Beato Stanislao commendatur, reviviscit. 17. Evam bimam, Nobilium parentum Alexandri, & Potentianæ de Swieprawiz, sive deprawski filiolam, puteus submerserat: fit votum Divo Stanislao, & redit in vitam Eva. 18. Andreas novem mensium infantulus, in natabulo submersus, 19. Thomas Firley Blasii, & Luciæ filius in piscina suffocatus, 20. Stanislaus Berent puer hornus, trimestríq; morbo vitâ exutus, 21. Andreas Zagrodzyn quinquennis pusio, in puteo extinctus, restitutam divinitus vitam, uni post Deum, debent invocato Stanislao. 22. Linguæ jam, visúsque usu destitutus, magnis passibus ad æternitatem properabat nobilis Joannes Brzechva, duodevicennis adolescens; quando invocatus Stanislaus visibili specie ad æ-

grum

grum venit, morbum vidit, vicit. 23. Eva de Piglowiz Lesniousca sensu omni jam exuta, in horas operiebatur mortem; opperienti dum apparet Stanislaus, disparet morbus. 24. Pro Petro Foelbowski quintum jam in diem agonizante, votum Stanislao concipiunt amici: & continuò voti damnantur hi, pristinâ sanitate beatur ille. 25. Deposuerant Medici Matthiam Siiwski Præpositum Przeworscensem; vix factum erat ad aram ante imaginem B. Stanislai pro ægri sanitate; quando Cælestis opifer depositum & in pedes, & plenissimam erexit in sanitatem. 26. Mors Patri Nicolao Cyrouski S. J. in consilio medico decreta erat in ipsam festam Stanislai diem; at æger emisso ad Beatum voto, die suo mortuali plenissimè revixit dicam an convaluit? 27. Sebastiano Kistel, prægrande vas cum aqua ex alto deciduum, ita caput læserat, ut & sensum, & rationem omnem elideret: quod vas, peccaverat, ex tempore correxit Stanislaus. 28. Nobilem Christianam Wlossinam morbi violentia extra se rapuerat; reduxit ad se, sanámq; mentem, confestim Stanislaus. 29. Ante imaginem hujus Beati orârunt (diversis etsi temporibus)

Justina

Justina Gieldzina, 30. Et Barbara Arcularia, Religionis Græcæ, oculis utraqne capta; utraque visum exoravit. 31. Ad hujus aram accessit uxor Joannis Ryckowiz septennium cæca; recessit videns. 32. Huic supplicabat pro trienni filio, nec fandi adhuc, nec ambulandi gnaro Christina quædam; & loquelæ, & gressûs gratiam abstulit. 33. Huic votivam appendebat Tabellam Hedwigis Pielanka; ut appendit, curatam sensit manum illam morbidam, quam paulò antè carne suâ ob serpentem contagionem exuerant chirurgi. 34. Huic dum se voto obstringit Catharina, filia Dutknicii; & hydrope, & epilepsia, & præsentissimo mortis solvitur periculo. 35. Ad hunc à medicis desperata, Christina Voyszina fidenter confugit; & fugit gravissima Hydropisis. 36. Hic spectabilem se sistit Præposito Chodoliensi Matthiæ Budziejouski, & præsentem fugat Paralysin. 37. Imprudentes abligurierant, claviculum duos digiti articulos exæqua[illegible] Jacobus Kilianoviz, 38. Annulum Sophia infans, 39. Officulum Anna Duchnina, 40. Spinam piscis Tricliniarcha Podoliensis Albertus Mieskoroski; omnes vocato in opem Stanislao fatales bolos

los vomuere innoxii. 41. Scatebat ulceribus intra caput ſe prementibus P. Martinus Fuſſenius; ſimul ut medicam Stanislai manum popoſcit, diſcuſſum eſt capitale malum. 42. Inquirebatur authoritate publicâ in admiranda Stanislai beneficia; quando Anna Koſtkancka, Abbatiſſa Jaroslavienſis, fœminea temeritate dandis ſe opponebat teſtimoniis; ſed in veſtigio pœnas dedit audacula, repentinis calculi doloribus dirum in modum cruciata: ùt tamen pro rea ad vindicem Stanislaum emiſſis votis interceſſum eſt, ipsâ, quam in ſignum voventes præſtituerant, horâ, convaluit Anna; documento futura, ſi non crabrones, Sanctos multò minùs, eſſe irritandos. 43. Noctu in Platea Marcellam Volfovicovam perſequebatur miles, aurum, neſcio, an pudorem rapturus: dum inclamatur Stanislaus, corruit miles, capútq; ſaxo non ſine luculenta plaga illidit, Marcella interim in tutum evadente. Tonitru dixeris, quo ſtrata ſit impietas, piam hujus feminæ vocem. 44. Præaltis elapſa feneſtris, quod inter labendum inclamaret Stanislaum, in ſubjectis lapidibus illæſa ſtetit Anna Grozvagierova: devolâſſe crederes, alas

ſugge-

ſuggerente Stanislao. 45. Canali alia inſidebat puella, per quem dum eximproviſo ferventis cereviſiæ torrens effunditur, in ſubito illa periculo ſe Stanislao devovet; & ecce mirum! quaqua cereviſiæ alvei circumfluunt, nec tangunt puellam: murum ſcilicet clienti circumderat Stanislaus. 46. Cum Morte, mortuóque fœtu luctabatur parturiens Matrona nobilis, Anna Melenskia: Maritus ad Stanislaum vix conceperat votum, & edidit uxor incolumis fœtum. 47. Cranium ruperat, animúmq; excuſſerat Alberto Guinski clariſſimo inter Præſmilienſes viro, caſus graviſſimus: invocato Stanislao coiit cranium, rediítque animus, nullo quidem tam funeſti caſus veſtigio, maximo tamen Koſtkanæ beneficentiæ argumento poſt ſe relicto. 48. Poloniæ Sveciæq; caput Vladislaus, dum ad pedes Stanislai venerabundus in intenſiſſimis calculi doloribus procumbit, pientiſſimo hoc caſu calculum omnem fregit, ſuâmet pòſt manu, tantum beneficium apud Urbanum VIII. conteſtatus. 4. Pedes, queis jam inde à biennio inſiſtere non poterat, ante aram Stanislai piè curvabat Thomas Pollini, Sacerdos Bononienſis

niensis; & curvando ita malum rupit, ut deinceps ad referendam celerem Soteri gratiam, currere si vellet, posset. 50. Anno 1707 die 13. Novembris, festo scilicet Stanislai, pro Barbara Catharina Rusca Monacha, Comi in S. Cæciliæ professa, jam à medicis deposita, & linguæ usu destituta, vix ad Cælité nostrum supplicatum erat; quando cum plena statim sanitate redditus est usus linguæ, in non alia deinceps decentiùs, quàm in laudes sospitatoris sui solvendæ. 51. Insederat Sophiam Virginem hospes Tartareus; sed invocato Stanislai nomine, gratum deserere hospitiú, quàm ingratum audire nomen, maluit. 52. Eundem visibili specie Stanislao Pobezinskio in agone objectum, tempori fugavit Stanislaus cælestis, integrâ subinde ægro valetudine restitutâ. 53. Stanislaus, dum Religioso è Sacra Divi Francisci familia, Deo supplicans, angelísq; suffultus; 54. Dum Catharinæ Tomickæ, sanitatis ab Deo precibus suis exoratæ Sponsor; 55. Dum Nicolao Szulz, salutis adpromissor; 56. Dum Alberto Costicovio, juveni pientissimo animam jam agenti, cælesti gloriâ circumdatus, spectabili forma apparuit, dubites certioráne suæ beatitudinis, an

D be-

beneficentiæ suæ dederit specimina. Et quâ benefactorum gloriâ non ille effloruit? 57. Anno 1632. non procul Caminieco in pervigilio Beati Stanislai insignem de Abafio Bassa Turcico victoriam retulit Polonia: Qui pugnæ Tessera, idem victoriæ author fuit *Stanislaus Kostka juvenis* 58. Triumphatum est sub Berestecko: triumphum peperit Stanislaus, emisso Lublini voto ab rege Joanne Casimiro, ferendas ad suppetias evocatus. 59. Exundârat ad usque muros Leopoleos, & 60. Præmisliæ Cosaccorum militaris eluvies: Urbem utrámq; à Barbarorum obsidione vindicavit Stanislaus, Leopoli pòst, ceu urbis protector, è turri curiæ, gratiarum, & honoris ergo ad perpetuam rei memoriam expositus. 61. Pestis villam Grodzisko, 62. Pestis Civitatem Posnaniensem, 63. Pestis Leopolin, 64. Præmisliam, 65. Atq; Varsaviam diversis temporibus circumsederat: Pestem omnibus his locis discussit Stanislaus, quà votis, quà votivis supplicationibus interpellatus. Sed lætis nunc tristia intexamus: 66. Anno 1632. 1. Augusti in Suburbio Lublinensi sudavit & flevit imago Beati Stanislai: 67. Eodem anno nonâ Septembris icon illa Divi nostri, quæ prima

ex Urbe ad Polonos allata eſt, poſt ſudorem identidem deterſum, & ſubortum, non ſine vultus mutatione, graviter illachrymari viſa eſt. An imagines hæ tunc temporis mores induerunt prototypi ſui; dum viveret, jugiter lacrymantis? an lacrymis, quæ pondera vocis habent, fata Poloniæ aſpera, eidem jam incũbentia, Dodoneis quercubus magis præſagæ, prænuntiarunt? Adde nunc (ne quid intactum relinquamus) recentioribus his, paulò antiquiora è Sacchino deprompta Miracula; adde 68. Revelatam alteri divinitus Stanislai Beatitudinem, in ipſo morientis Stanislai Articulo. 69. Adde diutinam defuncti corporis integritatem, 70. Odorémq; ſuaveolentisſimum. 71. Adde Matthiam Piſtrokovium, ſupremum Regni Polonici Cancellarium à graviſſimo ſymptomate; 72. Ab intolerandis luxati, fractíq; brachii doloribus Angelum, presbyterum Jaroslavienſem; 73. à calida febri Joannem Bieſiekerskium, 74. Et Cæſarem Alucium, ambos de Societate, Verbi divini præcones ambos; 75. à quartana Joannem Goſtomkium Palatini Poſnanienſis nepotem; 76. à periculoſiſſima ſtomachi dejectione Albertum Galskinskium S. J.

Tironem; 77. Ab acerrimis cordis punctionibus Nicolaum Oborskium S.J. 78. à constanti vertigine, Rheumate, Asthmatéq; Gasparem Mloskium, Ecclesiæ Płociensis Decanum; 79. ab acutissimis dentium, capitis, & pectoribus doloribus Martinum Barin civem Jaroslaviensem; 80. Ab oculorum caligine, an cæcitate? Romulum Vaccarum Romanum, 81. Jacobum Abbatem Brixiensem, 82. Jacobũ Laurum Chalcographum Romanum; 83. Ab instante morte, Lauri filium; 84. Ab gravissima Hernia infantem Helenæ Antoninæ, civis Foroliviensis; 85. à lenta tabe, seu phthisi Ignatium Rocoletum S. J. 86. à periculosissima sanguinis exundatione Floridam Hyacintham, Mediolani ad S. Catharinæ professam; 87. Ab insana nil ciborum admittendi pertinacia, Hieronymum Sacchinum, civem Maceratensem; 88. Ab horrendis animi intemperiis, magicísq; infestationibus feminam Sabinam; 89. à febri pestifera Liviam Montanam; 90. Ab immensis Mamillarum cruciatibus Claram Ghisiam Camajanam Matronam Romæ Sanctimoniæ & Sapientiæ famâ clarissimam; 91. à gravissimis partûs periculis illustrissimam Dominam,

Annam

Annam Koſtkam, Oſtroviæ Ducem, Tarnoviæ Comitem, Voliniæ Palatinam, quódque omnium decorum primum eſt, Beati Stanislai conſanguineam, 92. Item Lectiſſimam Matronam Catharinam Vapovii Caſtellani Preſmilienſis conjugem, è domo Koſtkana pariter oriundam, 93. Nec minùs Suſannam Pauli Lanii, 94. Annam Petri Jancinii uxorem, & 95. Helenam Antoninam civem Forolivienſem; denique 96. Ab Inſeſſoribus Dæmonibus Mariam Scalatam, & 97. Nicolaum Nurſinum, Patrocinante omnibus *S*tanislao divinitus vindicatos. Adde poſtremùm tot miracula alia, votivis tabulis ubiq; gentium, & cumprimis Romæ (ubi in Quirinali ſolùm monte ad Tumbam Divi noſtri, appenſæ ſunt omnino ducentæ quadraginta, pleræq; omnes argenteæ) ab gratis Clientibus expreſſa; & ſanè, quod, cùm mireris, tum imiteris, in D: *S*tanislao, habebis abunde.

Decretum Canonizationis BEATI STANISLAI KOSTKÆ Novitii *S*ocietatis Jeſu.

P*Ropoſitâ aliàs nempe die 9. Maji 1713, in Congregatione Generali Sacrorum Rituum habitâ coram*

coram Sanctissimo Domino Nostro Causâ Canonizationis BEATI STANISLAI KOSTKÆ Novitii Societatis Jesu, discussóque dubio-- An, & de quibus Miraculis constaret in casu, & ad effectum, &c. *Sanctitas Sua, auditis tam Consultorum, quàm Reverendissimorum DD. Cardinalium suffragiis, distulit eâ die resolutionem, ut priùs de more Cœlestis luminis auxilium in tam gravi deliberatione imploraret; At postmodùm, nempe die xij. Novembris ejusdem Anni 1713. ex tredecim adductis, ac discussis Miraculis, tria approbavit, videlicet: Primum instantaneæ sanationis Annæ Theodoræ de Ligniville atrophiâ, & impotentiâ crurum à pluribus Annis laborantis, sed tanquam supra numerum, utpote secutum ante indultam eidem Beato Stanislao venerationem; Necnon alia duo, quæ post indultam veneratione͂ hujusmodi supervenerunt, nempe Quintum repentinæ Sanationis Andreæ Fausti Unikovvski Monachi Ordinis Sancti Benedicti lethali morbo ægrotantis; Ac duodecimu͂ instantaneæ itidem sanationis Francisci-Xaverii Societ. Jesu à Paralysi.*

Eâdem subinde Generali Congregatione coram Sanctitate Sua die 17. Julii proximè præteriti iterum habitâ, factâque à Reverendissimo D. Cardinale de Abdua juxta præscriptum Decretorum plenâ, & distinctâ relatione omnium in hujusmodi Causâ gestorum

ſtorum, *propoſitum fuit ab eo Dubium* -- An ſtante approbatione trium Miraculorum ut ſuprà factà, tutò procedi poſſet ad ſolemnem Canonizationẽ ejuſdem Beati STANISLAI -- *Ad quod omnes unanimi voce affirmativè reſponderunt. Verum Sanctitas Sua antequàm quidquam decerneret, tam ſuis, quàm aliorum precibus ſe denuo ad Deum recurrere velle declaravit, ut dirigente Domino greſſus ſuos, eam, quam ipſe monſtraſſet viam, tuto pede inire poſſet.*

His demum impletis, idem Sanctiſſimus Dominus Noſter infraſcriptâ die ipſimet B. STANISLAO Sacrâ, R. P. D. Proſpero de Lambertinis Fidei Promotore, ac me Pro-Secretario Congregationis ſupradictæ accitis, præſens Canonizationis ejuſdem B. STANISLAI quandocumque faciendæ Decretum expediri, & publicari mandavit, non modò ad novum, ac inſigne decus memoratæ Societatis Jeſu de Catholicâ Religione multis nominibus meritæ, in qua ſcilicet Beatus Juvenis conſummatus in brevi explevit tempora multa: Sed etiam ad ſpeciale, ac maximè opportunum ſolatium populorum inclyti Regni Poloniæ, ac Magni Ducatûs Lithuaniæ, ut qui jam pridem, patrocinio, ac tutelâ ſupradicti Beati STANISLAI fœliciter potiti ſunt, ad illius præſidium in præſentibus ſuis neceſſitatibus alacriùs, ac ferventiùs

ventiùs

ventiùs implorandum excitentur. Hac die xiij. *Novembris* 1714.

F. Cardinalis de Abdua Præfectus.

Loco † sigilli.

N. Tedeschi Episcopus Liparitanus Sac. Rit. Congr. Pro-Secr.

COPIA PRIVILEGII.

E*Go infrascriptus S. J. per Provinciam Rheni Inferioris Præpositus Provincialis, potestate mihi ab Adm R. P. Nostro, Patre Michaele Angelo Tamburino Societatis Nostræ Præposito Generali ad id factâ, concedo Joachimo Friderico Buch Typographo Padibornensi facultatem ad decennium excudendi libellum, cui titulus est : DIVUS STANISLAUS KOSTKA. S. J. &c. Authore* P. Casparo Callenberg Soc. Jesu &c. *Eidémque jus Cæsarei Privilegii usurpandi eatenus indulgeo, ut libellum hunc nemo alius intra decennium, recudere, nemo intra S. R. Imperii fines, & hæreditarias S. Cæs. Majestatis Provincias importare, aut venùm exponere audeat. In cujus rei fidem has literas manu propriâ subscriptas, & officii Sigillo munitas dedi. Monasterii Eiflia. Anno 1616. die 13. Martii.*

(L.S.)

Nicolaus Mocking *S. J.*

